

SOTERIA RIGENSIA,

Sive

Panegyrici duo,

quos,

INCLUTÆ LIVONORUM METROPOLI, RIGÆ,

& de

SOLUTA FELICITER, OB-  
SIDIONE MOSCHORUM,  
DURISSIMA,

& de

RECEPTA SALUTARITER  
PACE, CUM IISDEM,  
DULCISSIMA,

pro undiq; obstricto pietatis fervore.

CUM NONNULLIS CIVIBUS,

gratulaturus,

ex voto olim concinnavit,

modo edit,


JOHANNES HORNICEUS,

SCHOLÆ RIGENSIS RECTOR.

R I G Æ,

Typis HENR. BESSEMERI,

ANNO MDCCLXX



Est  
THO Rhoenatukogi

L 46876388

VIRIS,  
REGIÆ, IN LIVONIA, METRO-  
POLEOS, RIGÆ,  
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
PRUDENTISSIMIS,  
DNNN.  
BURGGRAVIO  
REGIO, CONSULI-  
BUS, SENATORIBUS,  
DILECTIS  
PATRIÆ DILECTÆ  
PATRIBUS,  
*simul MEIS,*  
*hac,*  
inopum facultatum,  
SOTERIA,  
obsequiosæ pietatis libentia,  
submitisè offero,  
*perpetuus Clientis Cultorꝯ,*  
JOHANNES HORNICEUS.

**M**Unusculum, VIRI MAGNI &  
MAGNIFICI, subjiçio tenue, &;  
si Caput, quod renidenti conspi-  
citis vultu, excipitur; ornatûs vilitate  
indignum, in oculos manusq; vestras  
venire. Oratiunculæ sunt; quas in Scho-  
la vestra, ductu meo, Adolescentes, è pu-  
be studiosa selectissimi, dudum habue-  
runt; quibus tum paterna benignitate,  
si nõ plausum, veniam tamen, quod vo-  
tis nostris sufficiebat, dedistis. Pressurus  
omninò eram; nisi gravium Virorum  
intervenisset jam pridem autoritas, qua,  
ut eas luci publicæ exponerè, commo-  
nebar. Equidem; dum exiguas hinc vi-  
res, quàmq; parum, ex tanta rerum va-  
starum amplitudine, assequi datum fo-  
ret, considerabam; non immeritò ter-  
giverfabar: sed simul cum hortatu illo-  
rum, quos magni semper feci, Auto-  
rum, prægnantes animum ambigen-  
tem subibant rationes; eundemq; in di-  
versam tandem traxerunt sententiam.  
Religio erat, DIVINÆ CLEMENTIÆ;  
quæ nos, annis, abhinc, novem, exitio,  
ut intentæ quidem erant hostium con-  
citatisimorû machinæ, præsentissimo,  
gratio-

gratiôsè eripuisset; quæ, post, Pacem  
optatissimam, insperantibus; paternè  
elargita esset; præconiâ; licèt ab infan-  
tili balbutie, quam meritò hîc, (quan-  
quam nec alibi disertus,) confiteor,  
profecta; vel præsentium, vel postero-  
rum, venerabundæ admirationi subtra-  
here. Dulcissimum credebã parvi ora-  
toris, in proferendis Dei magnalibus, so-  
latium; maximo æquari: cum uterq;, il-  
lorum majestate, opprimatur; uterq;;  
sua pietate, approbetur. Illud in super  
cogitabã; verarum, inter homines, vir-  
tutum perpetuâ comitem esse modera-  
tionè: unde, nec SERENISSIMO RE-  
GI NOSTRO; nec ILLUSTRISSIMIS PRO-  
CERIBUS; nec cæteris; quorum mêtio fa-  
cienda erat, *Heroibus*; nec *Vobis* deniq;;  
*Patres Amplissimi*, ingratum fore con-  
fidebã: si, humilioris subsellii homûcio,  
meritorum, hac lingua juxtâ ac calamo  
longè sublimiorum, adoreâ deo seculari  
palâm sustinuisse. Vestræ hîc; post FUL-  
GIDISSIMA ILLA SVECIÆ MAGNANIMÆ LU-  
MINA, pugnæ; vestræ palmæ; utinam, ad  
què modum verè, ad eum dignè quoq;;  
collaudantur. Tantus, quanti *Vos* estis,  
hoc

hoc est, maximus sit oportet: qui susceptas, pro carissima Urbis hujus salute, aut, bellico, contētionēs atq; excubias, aut, cuncto tēpore, curas ac sollicitudines vestras, qvo decet, splendore repræsentare voluerit. Ego sat habebam, inter tacitos veneratores vestros versari: nisi perspicua manifestæ propētionis indicia; nisi mulsea tot annos cōtinuatorum beneficiorum illectamenta, pudorem istum tandem confirmassent. Recipite ergo, PATRONI LAUDATISSIMI, CERTISSIMI, ut jamdudum me ipsum, ita modo informem hunc, ingeniorū debiliū, fœtum intra paternæ benevolentiaē sinum: & facilitate consveta, clientis obsequiosi studia ulterius fovere, ne dedignamini. Sic *summus* ille rerū humanarum *Arbiter*, feliciter longævis, salutaria inspiret consilia: quibus, sub REGIÆ GRATIÆ clypeo, *Incluta* hæc *Resp.*, post tantas, & bellorum, & calamitarum cæterarum, concussiones, inter lætabiliora subinde Pacis confirmatæ emolumentā, optatioraq; Musarum revalescentium incrementa, roborari denuò, efflorescere æternū possit! Rigæ Livonum, 5. Id. Augusti. A. 1665.

# OBSIDIO RIGENSIS.

## BONUM FACTUM!

HOC ENIM OMNIS COGITET MEMORIA,  
 posteritas loquatur, Livonia præsertim, tot  
 ab illo tempore calamitatibus distracta, fati-  
 gata, & non una tantum clade tantum  
 non enecta, plurimum reminiscen-  
 do meditetur;

## RIGAM METROPOLIM,

CUM ILLAM MAGNUS MOSCHORUM IMPERA-  
 TOR, Hostis ex amico planè improvisus, ac proinde ter-  
 ribilior, post edita, non modò Dunaburgi & Kokenbu-  
 sie, in oppidis vi, ferro, flamma, expugnatis; verum  
 locis quoq; aliis, barbaricæ inhumanitatis specimina, nu-  
 merosissimo exercitu, centenis scilicet plus millibus  
 militum, ut ipsi vires, dicam, an viros suos? jacta-  
 runt, D. XXIII. Augusti, anno abhinc tertio,  
 circumdedisset;

Inde toto sesquimensæ,  
 protinus effusis, more grandinum, & glan-  
 dibus, & globis tormentariis, catostriis pari-  
 ter, pyroptisq; in homines, in ædificia pri-  
 vata, publica, non minùs nocturno, quàm  
 diurno tempore expeditis, internecioni ac  
 ruinæ destinasset; imò, ut eramus homines,  
 non nisi tristitia, ex tot tantisq; circumcirca  
 conspirantibus periculis, præfagia capientes,  
 primo præsertim turbine, immane quan-  
 tum, omnes consternasset,

**PATERNA TRINUNIVS  
DEI GRATIA;**

HUNC ENIM, NE IN TERRIS VINCEREMUR, tot gemitibus, querelis, lacrimisq; nubes penetrantibus, in cælo vincebamus, cum & velit ita vinci invictissimus, & possit;

**PROVIDIS GENEROSISSIMORUM HEROUM AUSPICIS, QUOS SINGULARIS S. R. MAJESTATIS CURA, ACCURANDÆ HUIC CIVITATI DESTINAVERAT;**

ANIMOSA PATRUM PATRIÆ PER VIGILIQUE & fideli attentione, industria, sollicitudine, prôtissimis fortissimorû civiû; sed juxta milites præfidiarios; laboribus, vigiliis, armis:

*In primis*

panico terrore, in castra hostis cælitus immisso, ut, quod olim tumide ferocienti Assyriorum Regi, Sanheribo, tempore Hiskie, contingebat, nondum fusus fugaretur, nondum fugatus fugeret, non secus, ac si fortiter fugatus & ab hoste fusus fugeret,

**EX DISPRESSIS DUDUM A QVILÆ RUTHENICÆ LINGVIBUS FELICITER ASSERTAM, CONSERVATAM, LIBERATAM ESSE.**

**QUOD DEI NOSTRI BENEFICIUM**  
ut non ita pridem, die nempe liberationis nostræ, V. Octobr. solenni gratiarum actione,

ne, in Panegyri piorum frequentissima, concelebravimus: sic idem, pro virili sua, præstituri

**JUVENES NOBILISSIMI,  
LAURENTIUS ZIMMERMANNUS,  
JOHANNES DREILINGIUS,**

**EX PRIVATA CL. DN. RECTORIS  
INFORMATIONE,**

Varia ex malis variis pericula, & ex periculis terrores, & ex terroribus vigilias, & ex vigiliis victrices ad DEUM preces nostras ardentius obsidionis tempore effusas, alter quidem ligata, alter prosa oratione, repræsentabunt:

*Quamobrem*

**OMNES REI LITERARIÆ PATRONOS, PATRES, FAUTORES, cujuscunq; Status, Ordinis, Conditionis, ut d. 17. Nov. finitis sacris matutinis, in majori Scholæ nostræ Auditorio, spectabili præsentia peroratos animent, & devotam, inter pias preces, mentem pro vertendis quog; malis incumbentibus,**

*Nobiscum fortiter intendant, humaniter, officiosè, amicè, orat, rogat,*

**M. JOHANNES BREVERUS,  
PASTOR & INSPECTOR.**

**P. P. D. XIII. Novembr. Anno M. DC. LIX.**

4  
RIGA PRESSA.

## ORAT. I.

## LAURENTII ZIMMERMANNI.

**Q**uam passi fuimus, quæ nunc quoque noxia vexat,  
 Quæ devastat agros, quæ firmas conscidit urbes,  
 Quæ dudum caræ tentavit mœnia Rigæ,  
 Concitus ingenti cum fereret impete Moschus,  
 Sulfureisq̄ furens innoxia tecta feriret  
 Ignibus, atq̄ aditus exquireret undiq̄ ferro:  
 Hanc faciles cladem, (si mens non leuâ fuisset,  
 Nî nos suppliciiis cœlestis destinet ira,)  
 Præsensissimus. Signa haud obscura notabant;  
 Horrendos casus, cæcos inflare tumultus  
 Non longè, fraudemq̄ & opera tumescere bella.  
 Nam, qui purpurea collustrat lampade terras,  
 Phœbus in exhausto decimum vix finiit annum  
 Cursu: cum ruerent per apertos flumina campos;  
 Aggeribusq̄ Ruboruptis raperetur in agros.  
 Ceu manus hostilis cingebant mœnia fluctus:  
 Unda tegebat agros: stridens ubi nuper aratrum,  
 Hic ibat remus. Cymba tranabat adunca  
 Livo, aut exesi prensabat fragmina trunci:  
 Subtus erant segetes, aut fractæ culmina villæ.  
 Mons stetit aduersus Rigæ, cui Cobbius olim,  
 Postquam, salvifico Christi Baptismate tinctus,  
 Barbara Germano coniederat agmina ferro  
 Sæpius, effuso dederat sua nomina tabo:

Hunc

## Riga Pressa.

5

Hunc rapidus vortex, hunc jam novus annus agebat.  
 Nec levibus tantum cumulis contentus arenæ,  
 Sepesq̄, quercusq̄, casusq̄ & saxa traherat.  
 Quæ minitabantur celsi fastigia montis,  
 Unda cavernosum sese demittit in antrum,  
 Eructatq̄ fremens terram, laticesq̄ reponit.  
 Inde novum peperit mater deformeq̄ monstrum:  
 Horrendum, bifrons: dirum mortalibus omen.  
 Et quoties fragiles suspendit aranea casos,  
 Herbis insidiata & florentibus arvis?  
 Erucæ, bruchiq̄, inquam, se dente nocivo  
 Immisere hortis, carpturi frondis honorem.  
 Viva, sed haud ulla foliorum veste, necullo  
 Germine fructifico stetit adspectabilis arbor,  
 Portendens tota, (sic nempe irata parentis  
 Quantumvis placidi, post effera crimina pubis,  
 Dexterâ virgultum è silva strinxisse petitur,  
 Proq̄ minis digni sœvit suspendere flagri  
 Terriculamentum;) ferulam dieteride nostram.  
 Hæc, & plura, olim dira de clade monebant  
 Ostenta, ac damnum signis minitata notabant.  
 Vidimus eventusq̄ ratos, veriç tenaces:  
 Experta, heu! nimium veros, mea Riga, fateris.  
 Quippe secuta ex hinc fuerit quàm longa malorum  
 Ilias, & latè regiones sparsa per istas  
 Pœnarum facies: hæc nomina singula dictis  
 Prendere sisperem, aut tenui deducere filo:  
 Hellepontiaci numerem prius æquoris algam,  
 Ægeiq̄ maris jactos ad littora fluctus.

A 3

Qvi

Qvi portentorum referant interprete lingua  
 Fata, ferunt: siquæ superato flumina vallo  
 Resurgent, undis si laxas mittat habenas  
 Ventorum spector, Nereus, & rector aquarum:  
 Præfagire vices diras, ac fulmina sævi  
 Gradivi, & lacera gaudentia prælia palla;  
 Harpyjasq; acres, diri Mavortis alumnas,  
 Quæ fæda ingluvie, turpemq; timentur ob unguem.  
 Hoc exempla probant annalibus eruta prisca  
 Temporis, & mille historia: quas docta vetustas  
 Prodidit, intexens victuris incluta chartis.  
 Ter tria sol nondum per fastos lustra reduxit,  
 Ex quo transcendens flayum Rubo pater alveum  
 Inflatos nostram fluctus protrusit in Urbem.  
 Tum, (meministis enim, sed quid dixisse pigebit?)  
 Arma tulit contra nos LAUDATISSIMUS HEROS  
 ARCTOÆ GENTIS, MAGNUS GUSTAVUS

## ADOLPHUS:

Et, dum Samaticis, quæ fas sperare, caremus  
 Auxiliis, post tot dubii tentamina Martis,  
 Ringentes multum sua iussa timere cœgit.  
 Ac mihi diluvium quis contemplantur istud,  
 Et tamen hoc bellum præfagivisse negabit?  
 Scilicet haud alios immensa licentia Dunæ  
 Servavit, quam quos mox gyros Martia trivit.  
 Quò sese undarum vis effera sustulit: huc &  
 Sanguincum Moschus furiosa mente flagellum  
 Nuperus extendit: ferro populatus & igni,  
 Quæ mirabantur jucunda suburbia Belgæ,

Qviq;

Qviq; aliunde isto religant prynnesia portu,  
 Post Matrem; viridesq; hortos, ac munera Floræ:  
 Et moles pulcrorum operum, doctosq; labores.  
 Non ultrà: nec enim præfagia præter, & undas,  
 Prodiit, aut nostras calcavit milite sedes.  
 Nonne eruca autem prædixit ab arbore pendens,  
 Pomisq; & foliis inbians, instare gemendum  
 Hortis exitium; quod Moschica nempe locusta,  
 Florentem Livicos cytisum depasta per agros,  
 Arboribus teneris, nullo prohibente, satisq;  
 Audaci nostram esurie factura sub urbem?  
 Vidimus arborumq; situs, domuumq; ruinas:  
 Et quicquid mutus clamabat ab arbore bruchus!  
 Lappæq; tribuliq; feris nascuntur in hortis.  
 Squallet ager ductis sub climata longa colonis,  
 Aut proffusus sevo jusfus procumbere ferro.  
 Terra negat fruges: steriles dominantur avenæ,  
 Et lolium infelix: pro purpureo narcisso  
 Carduus, & spinis surgit palinurus acutis.  
 Ancipitis verò necum præfagia monstri,  
 Conscia naturæ simulacra audite futuri.  
 Nec refert ipsam monstri pinxisse figuram:  
 (Lumine lustrâstis vigili pleriq;) sed illud  
 Livoniæ potius miseræ quæ fata notârît.  
 Corpus erat conforme aliis: duo brachia tantum:  
 Sed quæ sub pubem pendebant crura, gemellus  
 Pes herebat inutilis, & malè combinatus.  
 Utroq; ex humero justum caput exsurgebat.  
 Quid nova forma tulit? vieti quid sectio trunci?

Livoniam gemini Rectoris iussa labanti  
 Suscepturam humero. Sed non gratum exulet omen!  
 Excutiat dirum surgens juga Livonis hostium!  
 In veterem coeant concordia membra figuram!  
 Infirmo Moschus, firmo stet SVECIA talo!  
 Dissidii satis est: nostra sat caede litatum.

Sanè, quos casus perpeffa sit incluta Riga,  
 Mœnia cum nuper crudelis cingeret hostis,  
 Fama licet totum pernix portarit in orbem:  
 Non tamen absurdum est afflictæ iterare querelas.  
 Quas meminisse equidem titubanti horrore refugi  
 Hactenus: ast aliam nunc fert sententia mentem.  
 Hinc, (nam plura olim tradet felicitior ætas,)  
 Protrito statui comprehendere paucula versu.

Vos igitur, quorum vegetat præsentia pectus,  
 Magni Amphictyones, Patrii præclara Senato  
 Lumina; vos Patriæ Patres, decora Urbis &  
 Orbis;

Quorum humeris Rigæq; salus, & cura recumbit:  
 Vosq; Viri multo pietatis honore verendi,  
 Pastores, longas celebrati laude per oras,  
 Qui, quæ de cælo veniunt, præcepta docetis:  
 Et quos sancta Themis, vel Delius autor honorat:  
 Et vos, quisq; suo laudandi ex ordine, Cives:  
 Et tu, Castalidum flos, ac spes blanda, Juventus:  
 Vos rogo: ne grave sit faciles præbere canenti  
 Aures, nec tenui pudeat favisse Camœnæ.

MATREM produco RIGAM, sua fata dolentè;  
 Cum minitaretur metuendus acinace Moschus:  
 Cum nostro cavam speraret sanguine prædam. Nil

Nil sibi perpetuum fas est promittere robur,  
 Quod quæquæver sum vastus complectitur orbis.  
 Omnia præcipitat rapidi violentia fati:  
 Et, si quævis placidum meditatur parere cælum,  
 Non sinit hoc nostri scelerata insania moris.  
 Osi collabens ego non exempla ministrem!  
 Namq; ut præ multis dii præconia verbi,  
 Nec numeranda Dei venerans benefacta recorder:  
 Sic inter paucas nostrum caput exstitit urbes.  
 Sic pleno fluxit prædives copia cornu.  
 Sedula secundas mittebat Russia messes,  
 Et quernas tabulas, & quicquid silva ministrat.  
 Quas telluris opes vel Livonis ista parabat,  
 Vel, quæ nunc sumptis Lituania dissidet armis,  
 Hæ nobis plaustris vectæ stridente coibant.  
 Livica Germanum pridem subit ostia velum,  
 Et Sveo, cum Gallis; Britones duriq; Batavi:  
 Et, quicumq; secant Venedica littora remo.  
 Hi mea mereatu socio magmenta ferebant,  
 Horum Rubonem non vile celestina petebat.  
 Nam mihi, cum primæ fixi vestigia plantæ,  
 Mite salutare cælum circumdedit auras;  
 Terra sinum pandit non invidiosa feracem:  
 Et complexurus porrexit brachia Nereus:  
 Nereus creturis non languidus urbibus autor.  
 Hinc toties felix hostilia tela refregi:  
 Tranquillasq; diu calcavi libera sedes.  
 Præprimis ex quo Svecanis dego sub alis;  
 Quas invita velut subii: sic semper amanti

Semper sollicitæ genium tutricis honoro:  
 Qvin & honorabo tepidis dum palpito venis.  
 Hoc mihi propositum est: hæc stat sententia menti.  
 Agnoscit grati peccus documenta favoris,  
 Qvem ne lethæi poterunt exstingvere rivi.  
 Et tamen, heu! fato perniciosus acta sinistro  
 (Quæquam, quid fatum querimur? Mala crimina no-  
 Exitium accelerant, & diræ verbera virgæ:) (bis  
 Non longè à Ditis tenebrofi faucibus absum.  
 En tibi rarescunt, bellatrix Svecia, vires:  
 Qvas, cum formident gladii contendere, cæcæ  
 Triverunt sicæ, quæ se vicinia jactat.  
 Et quantum nuper sancitum fœdus habebat  
 Lætitia, tantum fert cædes dira doloris.  
 Quàm vastam invictæ Mitbridatis epistola Romæ  
 Imposuit cladem: cum quondam, perfidus ausu,  
 Per cunctas Asiæ regiones cedere jussit,  
 Quisquis de Latia venisset origine gentis?  
 Et quot enim Siculo perierunt vespere Galli:  
 Dum sanctam rupit pacem scelerata Panormus,  
 Obtudit & mæstis Caroli pia pectora curis?  
 Vix tamen hæc nostros æquant exempla dolores.  
 Qui nocuos laqueos, qui proposuere Sinones?  
 Istane amicitiaebentur præmia nostræ?  
 Siccine, qui fœdis strictos exsolvere vinculis  
 Deproperant, prompti pro nobis cernere inortem;  
 Qui trucis arma hostis, solo, victricia, amore,  
 In jugulum vertere suum; concidere par est?  
 Heu! ubi, quæ dudum gestabant arma, phalanges?

Arma, quibus justo licuit decernere Marte?  
 Arma, quibus nostræ egerunt tranquillius oræ?  
 Ilicet, expositum nudam latus! Ilicet, optat  
 Bella, ver ecundi dudum, vis barbara Moscibi.  
 Ab, quæ sub calido cupidus consulta refingit  
 Pectore? Quàm valido surgit pessundare nisu,  
 Qui, pauci, vastos vigilant defendere fines?  
 Jam mea Riga, inquit. Svecus procul errat in agris  
 Sarmaticis, Geticæq; studet perrumpere turmas.  
 At mihi gnara manus belli, magnæ & legiones:  
 Insuper insignem socialis Damia classem  
 Pollicita: hæc Livici claudet lata ostia portus.  
 Hæc, sed plura tamen, recordi mente volutat,  
 Perniciemq; meam prægrandi pondere librat.  
 Sic lupus, enectis miseranda tabe molossis,  
 Impavidus caulis inbiat, plenusq; minarum  
 E specubus ruit, ac torvus stabula alta refringit.  
 Stat sine mente pecus pavidum, trepidæq; bidentes  
 Nequicquam trepidis feriunt clamoribus auræ.  
 Ab! quanti eoo surgunt è lin. ite nimbi?  
 Quàm mala tempestas nostris appellitur oris?  
 Barbaricæ, auspiciis Moscibi, coière phalanges:  
 Conciti populi ventorum more feruntur.  
 Jam volitantis equi putrem ferit ungula campum;  
 Nec de lassatum peditem sua sarcina tardat.  
 Talia Achæmeniis prodibant agmina Susis,  
 Cum quondam inflatus peteret tua viscera Xerxes,  
 Græcia, supplicium terris minitatus, & ipse  
 Nereidum domibus. Mortaria vasta rebuntur

Terrores nostri, quin quæ horreat ipse Typhoeus,  
 Et reliquum armorum genus, instrumenta quæ leti  
 Conspicias, duro Chabybum confecta metallo.  
 Loricam confertam hamis, thoracas abenos  
 Cum galeis, hastas quæ graves, tum pulvere fætos  
 Nitrato, flamma quæ, tubos, tormenta quæ missis  
 Horrida fulminibus, celsas quæ ruentia turres.  
 Sarmaticum interea suspensum est fædere bellum:  
 Nempe, ut eò melius nostras bacchetur in oras  
 Gradivus facilis, longam turbet quæ quietem.  
 Ecce! in Livoniam furibundus stringitur ensis:  
 Nobilitas cum plebe ruit; late quæ vagatur  
 Bellum, at quæ à nullo revocatur pectore telum.  
 Moschus in arma viros, armis circumdatus ipse,  
 Suscitât, æratas quæ acies in prælia cogit.  
 Jam tuba terribilem sonitum procul ære canoro  
 Increpuit: sequitur clamor, cælum quæ remugit.  
 Firma Dunæburgi properat sub valla duellum:  
 Jam fossas implere parat, jam vellere portas.  
 Jam propiora tenet, tenet, heu! vis hostica muros,  
 Quæ rara est acies, interlucet quæ corona,  
 Non tam spissa viris. Telorum effundere tentant  
 Omne genus Sveci: tamen haud propellere possunt  
 Crescentis rabiem turbæ, aut defendere castrum.  
 Nam moliti aditum, streto discrimine stragis,  
 Quæ multa affecit Sveonum vis feruida tardos,  
 Suffecto numero majore subinde, repente  
 Oppressis ingens infundunt mænibus agmen.  
 Hic, postquam, extremis tentatis undiq; rebus,

Procubère Viri memoranda laude vehendi,  
 Attonitæ infantem genitricis ab ubere raptum  
 Messuit indomitus, dempto discrimine, miles:  
 Cedibus, (ô scelera!) implevit loca cuncta nefandis:  
 Vulcano ac ferro pariter domuum quæ ruina  
 Perdidit, & pedibus factos calcavit acervos.  
 Nec, si mille mihi Parnassia numina lingvas,  
 Ora quæ Nestoreis tribuant æqvata fluentis,  
 Ac vocem, magnus sibi qualem optavit Homeras,  
 Sufficiam clades quæ tuas & damna referre,  
 Quæ passa es Kokenhusa potens, arx margine Dvine  
 Ardua, quæ tellus sese Livonica culti  
 Fertilitate soli letos diffundit in agros.  
 O quæ hostis fecit ferus in te exempla! quibus quæ  
 Afflixit miseram pænis! Vix cana vetustas  
 Talia conspexit, non nostra antè edidit ætas:  
 Quæ patrarunt ipsi, gens impia, Turcæ,  
 Ergo dejectis reliquis, me cominus hostes  
 Argent? at quæ meos tempestas martia campos  
 Quas sabit, ferro quæ agros vastabit & igni?  
 Sternitur, ecce, solum telis! en, scuta cavæ quæ  
 Dant sonitum fluctu galeæ: pugna aspera surgit.  
 Nempe meas clades, & lentam sentio mortem:  
 Atteror, & veteres deploro abscedere vires.  
 Qui dudum gladio fulgenti frangere turmas,  
 Et conferre manum, & procurrere longius ausus,  
 Turriadum veteri de stémate profatus HEROS,  
 HENRICUS, Patriæ decus & fortissimus HECTOR,  
 Heu! tristi nimium leto properavit ad umbras.

Namq̄ ubi se Moscham media inter millia cernit,  
 Hinc acies, atq̄ hinc acies adstare cruentas;  
 Nec dimissuras quoquam, nec parere gnaras:  
 Ut fera, quæ densa venantiam septa corona,  
 Contra tela fuit, seseq̄ haud nescia morti  
 Injicit, & saltu supra venabula fertur:  
**HENRICUS** medios prorsum, moriturus, in hostes  
 Irruit, & quæ tela videt densissima, tendit.  
 Transfigunt illi Heroemq̄, animamq̄ resolvunt,  
 Et caput, (obstuspe!) resecant trunco dejecto,  
 Deformi adspectu, venas trepidas motanti.  
 O scelera horrenda! ô cunctis graviora coturnis!  
 Sed num Te lacrimis flebo, **COMES INCLUTE**, multis?  
 Cujus contingit cum mens, tum gloria, calum.  
 De me fata jubent tristes protrudere questus.  
 Quem tu ridebas, is me modo territat hostis.  
 Nam, (quod subrecto dat niceteria collo,  
 Quodq̄ gerendarum rerum opportuna ministrat,)  
 Protensa infesto cessere suburbia ferro:  
 Flammæq̄ visq̄, aditus grassans populatur amœnos.  
 Nimirum ravidum propolis mea suscipit hostem,  
 Ictibus ut certis nostras bacchatus in arces,  
 Obsessos propius variis cruciatibus angat.  
 Hinc illa est animi elati fiducia, quæ se,  
 Per fossas, per valla, per opposita arma virorum,  
 Nunquam frangenda testudine credit iturum.  
 At contrâ, rigido præcordia nostra timore  
 Emarcent, animiq̄ remittit conscia virtus,  
 Nec mirum tantis collabi sensa periculis,

Scilicet hostili præcingimur undiq̄ turba.  
 Tanta se Livico campo innisere cohortes,  
 Quantæ non olim Grajis venere Mycenis,  
 Quas fatum fuerat Priami subvertere regnum.  
 Adde quod insueti turbant hæc pectora casus.  
 Qui tardè, ac modico linquit sublimia lapsu,  
 Ille, novercantis solans incommoda sortis,  
 Paulatim mæstos discit componere motus.  
 Non insueta illum tentant discrimina; longis  
 Lentamalis mens est, & vis interrita rerum.  
 At mihi, fulmineum vibrans dea lubrica telum,  
 Præcipitem properat, nullo prohibente, ruinam.  
 Eloquar? an sileam? Per templa sacrata coortus  
 Rumor, & hinc vanæ sterilis trepidatio mentis,  
 Intentum sacris potuit dispergere cætum.  
 Interrupti hymni, & ceremonia cætera cultus:  
 Obticuere, (pavens nam concio fugerat,) ora,  
 Ora retrusarum mysteria pandere rerum.  
 Quæ solita, & clausi referare repagula cæli.  
 Infelix, eheu! ni cælum averterit, omen.  
 Unde refrigerium quondam, & solamina, fessæ,  
 Inde modo anxietas surgit, mentisq̄ procellæ.  
 Hæc mihi divini meruere oblivia cultus!  
 Heu! quoties, celsis cum turribus æra sonarent,  
 Et nati & natæ, spretis, quæ dia juberent  
 Præcepta, apricos hortos, non templa, petebant?  
 Heu! quoties tanta est frustra taxata Ministris  
 Impietas? quoties subsellia nuda fuerunt?  
 Pro meritis patimur, Contempta est concio, rursum,

Concio dejectos animos fultura negatur.  
 Delicias tandem vetitas lamenta sequuntur.  
 Proditione Deum stulta dimisimus; ille  
 Rursus inexhaustis properat nos tradere pœnis.  
 Et quod supplicium majus, quàm pectore testem  
 Circumferre suum, & timida pallefcere culpa?  
 Hæmentem lacerant scuticæ quassante flagello,  
 Ut neqveat diris obvertere casibus arcum.  
 Si tantos inter motus, tantosq̃ timores,  
 (Ut catus est,) juncto nos impetat agmine Moschus,  
 Protinus attonitis imponet vincula collis,  
 Et nostro sitiens potabit sanguine ferrum.  
 Ille autem cesset? Qvin jam per tergora terræ  
 Fossor in obliquos ductat vestigia flexus;  
 Obscuratq̃ sinus, fossam custode coronans,  
 Qui nostros latitans cæcis observet ab antris,  
 Atq̃ erupturos hastisq̃ globisq̃ repellat.  
 Ecce! giganteo præcingunt robore castra,  
 Moliti ingentes montes, sublimia valla:  
 Quæ tormentorum vulgus tueantur ab ictu,  
 Dum strepero figit tentoria fulgida nifu.  
 At quæ conjunctis exsurgit machina lignis?  
 Dividuam plures molem secuere fenestræ:  
 Ingeritur trabibus contextis terra lapisq̃.  
 Ab! nostro exitio, castrensis vinea sese  
 Erigit, ut pluteos agiles, tormentaq̃, gestet:  
 Ut nostras quatiat pinnas, fidosq̃ repellat  
 Propugnatores: quorum densa arma verentur,  
 Irrupturi aliàs audaci pectore, Moschi.

Jam disponuntur mortaria fœta catastro,  
 Ingentes hominum strages, domuumq̃, daturo.  
 Sed meus invito suscepit tergoꝛe Duna  
 Barbaricas cymbas, & Moschi remigis audit  
 Insanum fremitum, & tumidæ convitia mandræ.  
 Porrectis igitur discet considere transiris  
 Auxilium, annonamq̃ mihi pirata negabit,  
 Moschus, naumachicæ dudum rudis? Ergone prisco  
 Fluminis imperio privabit? Qvò feror? Uno  
 Tempore pressuros geminat, fors aspera casus.  
 Bombardæ injiciunt ignito sulfure glandes,  
 (Non quas Chaonicæ sverunt producere quercus,  
 Sed quas pullatus conflagavit fusor ad ignes.)  
 Tot, quot deciduas constringunt frigora guttas,  
 Cum flavas nimbus quassat glacialis aristas,  
 Et vernalis hiems æstivos contegit agros.  
 Aenea sed quantas jaculatur machina sphaeras?  
 Vix equidem cedunt complenti cornua lune.  
 Suppeditat vires luteo cum sulfure nitrum.  
 Obvia quæq̃ ruit vasti vis efferæ ferri.  
 Dissiliunt laterum turres compage soluta:  
 Procumbunt domuum fastigia: plurima templis  
 Infertur noxa, & non debita vulnera, sacris.  
 Sentit enim, quoties, quamq̃ acriter inde petatur,  
 Hostis; dum cælum implorant pia vota meorum:  
 Hinc sibi præsidium nociturum expellere tentat.  
 Eheu, quam tonitrus horroꝛe obtunditur auris!  
 Sic, cum materiam viscosam in nube cœgit  
 Phœbus, & instantes condensant æthera Cauri,

Adversumq; gelu sarmenta subinde ministrat;  
 Donec per nubem volitet strictura trisulcam,  
 Et celsos findant ardentia fulmina montes;  
 Fulgura terrificè reboant, ictusq; sequuntur.  
 Atq; utinam bruti vellent transire fragores;  
 Nec nostræ pubis carissima corda ferirent!  
 Ante mihi serus fuscabit vesper olympum:  
 (Sed quando cessit Phæbonox ista nitenti?)  
 Ante mihi pullum subducet Cynthius orbem;  
 Quàm varias misera liceat describere strages.  
**GARDIACÆ**, imper, **CLARISSIMA GLORIA GENTIS**,  
**MAXIMUS HEROUM**, queis fulcio fessa ruinam,  
**Prædii Columen**, generosæ mentis **Achilles**,  
 Qui pro Livonia curas à **REGE** secundas  
 Sustinet, attollens animoso corde labantem;  
 Dum, necis oblitus caræ, per saxa, per ignes,  
 Sulfureosq; globos, inter tot busta meorum,  
 Seminecesq; viros, gemitusq; utrinq; cadentium,  
 Vincendi cupidos laudatis flectit habenis;  
 Subter succensi subitò fragmenta catostri,  
 Pulvereosq; ignes, leto vicinus iniquo,  
 Læsus erat: sed jam, ne damno plectar in uno,  
 Post tot felices, quas dividit undiq; pugnas,  
**Mirandû fulmen Gradivi HELMFELDIUS, eheu!**  
 Saucius excessit frontem laceræ trabis ictu.  
 Hæc adeò trepidam prosternunt vulnera mentem;  
 Ut nulla prorsus videar servabilis arte.  
 Quamquam, pro reliquos ploro sermone dolores;  
 Namq; aliam nobis pestem fabricatus avernus,

Vel quicumq; nigro dederat sua nomina Diti.  
 Hoc genere armorum nusquam violentius ullum  
 Vel Phlegethon, vel Lemnos habet. Coit unus in orbem,  
 Prægrandi sed mole, globus; cui pulvere venter  
 terreus expletur, sparto atq; bitumine vinctus.  
 Hunc ubi serpentis vis imperiosa faville  
 Attingit, obliquo se tollit in æra motu,  
 Flammiyomamq; trahit caudam: mox lapsus ab alto  
 Horrendum sonat, & magno sua viscera nisu  
 Rumpit, & ingenti involvit vicina ruina.  
 Sic terror sæculi, Cyclopuum ustrina ferorum,  
 Ætna furens, atra subter fuligine flammæ,  
 Saxa picemq; vomit, misero perditq; labores  
 agricolæ. Sic se Campana per arva Veseyus  
 Explicat, atq; Itali sternit sata læta coloni.  
 Me miseram! Quoties danmanda hæc fabrica pulcras  
 Demolita domus? Quoties sublimia templum  
 Illabens rupit laquearia desuper, atq;  
 Semianimem cetum cum multo horrore diremit?  
 Heu! Quoties piceis admota incendia tignis  
 In tepidas totam propè dissolvère favillas?  
 Cedant malleoli, veterumq; phalarica: nobis  
 Tot micuère rogi, quot promicèure catostra.  
 Quàm concisa sinum suboles mihi cara cruentat?  
 Nam cui vis cæca, & non parere conscia, parcat?  
 Non ita Getuli vis impetuosa leonis  
 Membra viatorum, rabidos concepta per unguës,  
 Comminuit, veluti saliens fissura catostri.  
 Ille manus truncas, isthic nuda ilia jactat:

Hunc fragor exanimat, hunc noxius ufulat ignis:  
 Purpur eam vomit ille animam, trahit ille labantem:  
 Illi sanguineis miserando è corpore grumis  
 Canities adspersa rubet. Sed desino leti  
 Scrutari species, & funera amæstameorum.  
 Namq; novum fecit tristis mihi fama timorem.  
 Abstrusos aditus, demissi in viscera terræ,  
 Egrestis cumulis, hostes tentare feruntur.  
 Tramite deciduo, cæcoq; cuniculus, antro,  
 Inferet arma mihi, quæ visa cœrceo felix.  
 Tuta quidem videor fossa, atq; uligine fundi,  
 Quod circumcirca pomeria nostra recepit,  
 Hac à fraude: tamen, quid non mortalia fingunt  
 Pectora? Quævis, ipsum vivis penetrare sub orcum,  
 Non est relligio. Non Trojam cepit Epeus?  
 Sed jam præterea terrorum & fraudis abunde est.  
 Cædua siva trabes, & pinea texta ministrat:  
 Pontones scalasq; jugat, non tarda dolabrîs,  
 Gens, quæis transmittat fossas, ipsumq; repente  
 Exsuperet vallum, nostrasq; feratur in arces.  
 Quos non conatus, quæ non tentamina flevis?  
 Nil intentatum, furiata mente, relinquunt.  
 Denos transegit, revolutis orbibus, annos  
 Græcia, Dardaniæ sedes ac regna fatigans:  
 Nec tamen in tantus pellax surrexit Ulysses  
 Artes, nec toties lapsuris machina muris  
 Admota est, inter fremitus cædesq; virorum:  
 Quantas exiguo sublestitus tempore fraudes  
 Nexuit, usq; novis commentis impiger, hostis.

Nec

Nec faciles illum poterunt lassare labores:  
 Succedunt vegeti fessis, operasq; calentes  
 Continuunt, & gratq; manum mutabile vulgus.  
 Neve retrocedet, nullo incutiente timorem.  
 Et quis tam durum, tam sorte, fugaverit agmen?  
 Rex meus est Getitas proisus delatus in oras,  
 Sarmaticasq; quatit tepido mucrone pbalanges,  
 Atq; urget Victor perjuri tergora Daci.  
 Auxilium verò subitum sperare quis ausit?  
 Cum nostram in cædem major consenserit orbis.  
 Præsidia erumpent fortunæ credita? Quid, si  
 Hostili pereant ferro, viduamq; relinquunt?  
 Sat damni tulimus, sat nostri sanguinis haustum!  
 At verò ulterius sevis circumdabit armis:  
 Intercludet iter bifidum, terrasq; mariq;  
 Atq; coarctata luxabit robora, Mosebus?  
 Fædis me pedibus calcatam proteret? atq;  
 In truce præcipiet prolem venire catasta?  
 An domibus poterit prisceis inmittere tædas?  
 Magnifica in tenues solventur templas avillas?  
 Heu! quid ago tantis fortunæ fluctibus hæsta?  
 Heu! quid postremo, primove, miserrima tento?  
 Quid tentem? Vasta sub mole satiscere vires,  
 Lamentor, rapidam nec posse repellere mortem!  
 Heu! num sic pereò? Rigidus præcordia torpor  
 Occupat. heu! gelido jubeor succumbere leto!  
 Ad Te prorepro: tua tristis altaria palma  
 Amplector, scelerum VINDEX, AUTORq; salutis:  
 Qui pacti temerè abruptentes fœdera punis:

B 3

Sed

Sed respicientes patria complectere cura:  
 Suppetias, quas solus habes, PATER OPTIME, sorto!  
 Atque, ut ferre queas, letæo mersa premantur  
 Crimina nostramari, quibus, ô! sine mente, modoque  
 Nil pudicum infreni, sanctos offendere vultus.  
 Fæda quidem nostros labe contaminat ætus:  
 Magna (fatemur enim,) pœnas delicta laceffunt:  
 Sed Te contineat placidi clementia cordis!  
 Hæc nobis pharos est: hæc ancora certa salutis.  
 Parce, ab! parce, precor, per cari vulnera NATI!  
 Per, quo damnandus salvatur sanguine mundus!  
 Ne nostro rubeant arma hostis tincta cruore.  
 Respice, quas humile obsequium Tibi condidit aras!  
 Supplicia exaudi. gemitus. tristesque querelas!  
 Si veniam scelus, et mala vita, negavit adultis:  
 Infantum, ut Nini quondam, miserere rogatus!  
 Cur hostis victor probrosa voce: tremendum,  
 Inquiet, eduxi gladium; nec bellicus ardor  
 Eripuit nostræ morientia corpora dextræ?  
 Tupotes: hic tuus est labor, ô PATER, eripe fessos!  
 Promeruerè equidem perverſe verbera mores.  
 Sed quid enim? Tortor plectet? Tu corripe virgam:  
 Ut non morigeros castiges, corripe virgam:  
 Nam quis te patrios affectus ponere sensit?  
 Ne, si permittas, deleti funditus, hosti  
 Ludibrium, toti que exemplum atrocibus orbi  
 Vindictæ, tua quæ semper justissima, semus.  
 Conserva, qui Te coluit tot secula, cætum!  
 Assere me propter tua Nomina! Tu mihi solus  
 Refugium. Sine Te, flamma ferroque peribo!

**Q**UOD Vir secundum cor Dei, Da-  
 vid, ereptus maximis evidētissimisque  
 periculis, olim, gratitudinis ergo,  
 exclamavit: idem nos quoque, licet illo mul-  
 tis modis inferiores, tamen obsidione, quæ  
 ante istud trienniū Moschus nos angustavit,  
 operibus ac laboribus insigni, casibus gra-  
 vi, cædibus atroci, fulminantium tormento-  
 rum ac pyroptorum impetu horrendâ, con-  
 tentionū magnitudine longinquâ, fama cla-  
 rissima, præter meritum ac spem nostrâ, li-  
 berati, humillima gratisimamque mente profi-  
 temur: Afflictio tua, DOMINE, magnificavit nos.  
 Nam licet detestabili peccatorum nostro-  
 rum immanitate non hæc tantum supplicia,  
 verum multò graviora, imò ipsam interneci-  
 onem promeriti fuisset: (& quis fuit  
 nostrum, qui, sub hostis numerosissimi juxta  
 ac atrocissimi adventum, toto non perhor-  
 resceret corpore? qui præ timore penè  
 non exanimaretur? qui denique de ipsa rei  
 summa propè non desperaret?) tamen di-  
 vine clementiæ est, (ut Threnorum Autorem  
 sequar,) quòd in furore ejus non absumti

sumus. Hæc nimirum pœnam, pœnam criminibus nostris attractam, provocatamq; in paternam convertit castigationem; ut nos ea emendaret, emendatos verò ad majorem perduceret famam; seu, ut nos universo terrarum orbi misericordis suæ clementiæ, clementisq; misericordiæ, exemplum sifteret evidentissimum. Quis n. vel angulus hodie, quò fama nutricis nostræ benignissimæ, RIGÆ, non pervaserit? Claruit quidem jam antehac Patria hæc nostra, claruit; ut nulla gēs cultior nomē ejus ignoraret, nulla regio terminis suis contineret. Nam ubi annales Livoniæ vetustissimos perlustraverimus, deprehēdemus, hanc nostrā dulcissimā patriam Urbem, reliquarum omnium esse matrem; ex quā annos jam tot centum victores ac doctores Letticæ gentis prodierint: in quam se, ingruentibus majoribus motibus ac pœriculis, receperint. Quid? quod ab initio statim nō parvam sibi, ab universali illo inopiæ humanæ levamento, mercatura, qua florente, quæq; civitates florent, deficiente omnia deficiunt, quæq; totius mundi voce, nullā omninò carere potest Resp; famam pararit: eiq; singulis, si non diebus, certè annis, magnum notabile adjecerit? Quod enim flumen ad merces submittendas aptius? qui portus ad apportandas accom-

moda-

modatior? Vanus sim, si, quæ gentes huc commeent, prolixè enumerare satagam. Illud potiùs dico, ex hâc Urbe, pluribus, quæ stetit, seculis, tanquam ex eqvo Trojano, Viros clarissimos, quibus Resp. ac Ecclesia semper tutò commissa fuit, prodiisse. Religio est, licèt plurimos possim, paucos nominare: non quòd hæc pietas non foret, sed quia infinitis facienda esset injuria. Quoties verò antehac hostiles sustinuit impetus, cum non tantùm circa prima ejus fundamenta Christianis conditoribus se barbari opponerent, infestaq; adversus ipsos arma sumerent; sed ipsi etiam postea finitimi principes, ac reges, bellis lacefferent hanc longè disitam, Imperii Romani, provinciam? Statuite vobis ob oculos illam sub immanissimo tyranno, Johanne Basilide ruinam, cædes, stupra, fideiculas, catastas: cogitate alias ante id tempus exterorum irruptiones, quas RIGA nostra vel è longinquo despexit, vel cominus macula animositate propulsavit: Ut merito suo RIGA totius Livoniæ caput, ab ipso Stephano Polonorum salutata, à Sigismundo verò (sed quanti hi testes?) fortitudinis ac fidei sincerissimæ præconiis mactata fuerit. Nolo hîc privilegia ac immunitates ab Imperatoribus & Regibus concessas; nolo alias prærogativas complures, quæ amplissimam

B 5

Patriæ

Patriæ claritatem promoverunt, edisserere;  
 siquidem ista ex optimorum scriptorū mo-  
 numentis melius hauriri, quàm jejuna orati-  
 one mea cognosci possunt. At ista, quam  
 dixi, obsidione nescio, ubiq; gentium, quam  
 honorificam de se opinionem generaverit.  
 Amicis frequenter in ore est Rigenſium con-  
 stantia; inimicis autem, quantumvis ringen-  
 tibus, de animositate nostratium, extortum  
 est testimonium. Impius tamen omninò es-  
 set, sinceræq; pietatis inops, quisquis hæc  
 non omnia Dei, obſeſis auxilia simul & con-  
 silia suggerentis, consilia prudentiâ moderân-  
 tis, prudentiam robore fulcientis, robur cō-  
 stantiâ consummantis, gratiæ accepta ferret;  
 quisquis gratisimo illi Isacidarum Regi, Da-  
 vidi, non accineret: Non nobis, DOMINE,  
 sed tuo nomini da honorem, propter beni-  
 gnitatem fidemq; tuam! Belligerantes enim  
 contra nos malefici, ad exedendum carnem  
 nostram, hostesq;, per te corruunt. Meten-  
 tur contra nos castra, non timebit animus  
 noster: insurgat contra nos bellū, Tibi con-  
 fidimus. Nam nec arcus, nec gladius noster  
 nos servârunt; sed Tu ab hostibus nos servas,  
 oſoresq; nostros pudefacis. Te, Deus, lau-  
 dabimus, toto die, nomen tuum in secula ce-  
 lebrabimus; memorabim⁹ facta tua in quaq;  
 ætate; populiq; omnes celebrabunt Te in se-  
 culum

culum. Impius, quisquis cum Mose non ex-  
 clamaret: Fortitudo nostra & Laus nostra  
 DOMINUS, factus nobis in salutem. Glorifica-  
 bimus Deum nostrum, Deum patrum nostro-  
 rum, & exaltabimus eum? Dominus quasi vir  
 pugnator, omnipotens nomen ejus. Dexteræ  
 tuæ, DOMINE, celebrata fortitudine: dexteræ  
 tuæ percussit hostes. Misisti iram tuam, quæ  
 illos devoravit, ut stipulam. Quis similis tui  
 inter fortes, Domine? Quis similis tui? qui ma-  
 gnificus es in sanctitate, terribilis atq; lauda-  
 bilis, faciens mirabilia! Pietas, quam nemo  
 mortalis, nedum ego, unquam expleverit,  
 hætenus aurigata fuit: at deinceps, si Vestra  
 ita tulerit patientia, vicina ei legam vestigia;  
 & certantis Patriæ masculam virtutem; ac  
 laudatissima, solisq; æternitatis insignibus  
 decoranda, merita, encomiis, licet non satis  
 exactis, tamen veritatis, venerationisq; plen-  
 nis, profectum ibo. Quod dum facio, a vo-  
 bis, A. O. O. H., quandoquidem hoc quæ-  
 lecunq; studium meum, licet virtutes vestras  
 omnigenas in theatrum producturum sit, ta-  
 men ad veram illam, & ultimam actionum  
 humanarum metam, nominis Divini gloriâ,  
 cui Vos, vestraq; omnia, laudatissimo pieta-  
 tis zelo, devovistis, collineat: quibus debeo,  
 quibus possum, precibus contendō, ut ti-  
 morem meum vestrâ indulgentiâ animare,  
 infan-

infantiam gratiâ sublevare, dignati, debili ac dubio cursui meo salutarem exoptatamq; Pharon erigatis.

Clarissimum illud literarum sidus, Cicero, Sullam malo cuidam poëtæ, libellum de populo subjicienti, statim ex iis rebus, quas tunc videret, præmium tribui iussisse refert, ea tamen conditione, ne quid postea scriberet. Eundem finem si temeraria incogitantia mea habitura est, ut conatibus hisce meis à benignitate vestrâ non tam merces decernatur, quàm venia donetur, optimè de me, humanissimè, beneficentissimè, actum iudicabo. Non enim, A. H. dissiram de raptu Helenæ, non de Casiopæâ, non de Oreste, non de Tithoni cicadâ, Seriphiorum ranis, aut Myrmidonum formicis; sed de Viris omni laudum genere cumulatis, nostrâq; ætatis ac memoriæ clarissimis, quos laudare omnes volunt, pauci satis dignè possunt; quòd divina eorum virtus, communes naturæ vices supergressa, gloriam nunquam satis deprædicandam, ipsiq; æternitati æquandam, sibi compararit. At quid inter hos amoris & formidinis fluctus agam? Imò verò, quid agam? dum volo & non possum? dum admiror & deterreor? dum detrecto, & idem conor? Imitabor bonos debitores, qui quoties, inopia angustiiis pressi, solvendo non sunt, obligatos

gatos sese tamen, solvendiq; cupidos ostendunt. Si enim gloriam meritaq; innumeralia pro dignitate ipsorum eloqui, & stilo, stilo juveniliter incondito, complecti non possum; humilis tamen observantia, amorisq; ardētissimi signum, famulantis obsequii conatu, declarabo. At enim quòd me vocatam? Quid tacebo? Quid loquar? Quæ ratione non tam copiam (patentissimus enim mihi cæpus aperitur;) quàm modum inveniã? Tuas, *ILLUSTRISSE COMES GARDIÆE, HEROS GENEROSISSE*, incomparabiles innumerasq; admiror quidem, venerorq; tacitus, virtutes; sed radii illarum debilem meam aciem ita præstringunt, ut eam, quasi ad solem meridianum, submittere, infraq; fulgorem tuum fidere cogar. Longè enim supra captum meum est, saluberrima tua consilia, prudentissima imperia, fortissima facta, quibus nutans tum Livonia suffulta fuit, quo decet cothurno, repræsentare. Res Romanas bello Punico secundo, multis sinistris præliis attritas, unus homo Fabius Maximus, nova belligerandi arte, cunctatione, restaurasse scribitur; Tu, *COMES ILLUSTRISSE*, Fabius noster, & amplius, meritò clues; sapientissima namq; tergiversatione tua barbarorum hostium impetus, (qui primo semper sunt acerrimi, paulatim, si cedas aut instes, langvescunt)

scunt) ita sunt retusi, ut, dum inclusa Rigæ virtus sese colligit, non tantum subinde contemni, sed & tenuibus copiis tuis vinci profligariq; cœperint: donec tandem hostis arreptâ fugâ, Te tuosq; licet paucos, virtute tamen, ac causâ, superiores confessus fuit. Et callidi namq; Imperatoris, & strenui Militis munia impertæsus ubiq; complebas. Ad constantiam ac patientiam exemplo potius laudatissimo volentes invitare, quam durioribus imperiis invitos adigere, constitueras. Quoties, & cur non, semper, potius dico? sed quoties tamen diligentissimæ lustrationes, animosissimæ cohortationes tuæ, cum armatos hujus Urbis Cives, tum stipendiarios ac conscriptos milites, ad ultima quæq; non suscipienda solum, sed sustinenda etiam ac perferenda, commasculaverunt? Tantam vigor tuus omnium animis alacritatem ingenerabat; ut eruptionibus frequentissimis hostem immanissimum divexare, defatigare, fossis, vineis, castris, exturbare, concidere, in turpem sæpe fugam vertere: allicere rursus, & tormentorum noxiis ictibus dedere: voluptatis summæ loco haberent. A capite humano, physicorum arcanorum scrutatores prodiderunt, nervos plerosq; exortos, in omne reliquum corpus diffundi, eidemq; & efficacem agilitatem, & convenientem,

tem, illiusq; nutu gubernandû, motum elargiri: Tu, COMES INCLUTISSIME, Tu vividum ac vege Livoniæ tum fatiscentis, Rigæ laborantis Caput, non prudentissimo solum ductu cuncta nostra regebas; sed & vires eximias, vires tantis malis, quanta ruptis aggeribus catervatim undiq; irruerant, divino firmante præsidio, sustenturas, indefinenter, fideliter, salutariter in ordines quoscunq; dimittebas. Unde, (si æstimare humili cultori maxima licet,) vel ipsa ringens invidia hodie confitetur, æternumq; confitebitur: tuis potissimum consiliis barbaricam temeritatem elusam, alacritate belluinis impetus explosos, firmitate avidissimam pertinaciam refusam, subsedisse, concidisse, elanguisse. Equidem mirabunda veneratione, res tuas, & hîc, & alibi gestas, obsequiosa mentes ruminantur: sed absit illa vecordia, ut laudem earum, vel cogitando, assequi quenquam ex nobis posse præfidamus. Sit hoc ingeniorum feliciorum juxta ac subæriorum curriculum; stringant illa, quem par est, calamum; & gloriam tuam, quæ ubiq; maxima, incomparabilis, æterna, æternitati tamen, quoad gratæ pietati licet, consecrare allaborent. Ego enim, impetrata venia, ad ea, quæ sive infirmitati, sive instituto istius viciniora sunt, depropero. Utinam interea tam peritus sim

moven-

movendarum lacrumarum, ut magnis **TURRIANI COMITIS** *manibus*, pro singularibus meritis, litare parentareq; possim! Cedant Decii, laudatissima inter Romanos nomina, *Heros iste noster* multis parasangis anteit. Illi enim, vanâ eventuræ victoriæ persuasione inducti, scientes volentesq; in certum prævisumq; ruerunt exitium; Hunc amor **REGIS SUI**, patriæ, ac sinceræ gloriæ exstimulavit, ut pro salute nostrâ perdius ac pernox vigilaret, & si fata sinistra ita ferrent, nobilissimum sanguinem, cum animâ, effundere paratus esset. Tanta igitur collabente *Columna*, *Riga* nostra non ingemisceret, ruinamq; exhorresceret? Ita sane! sed Ille, illustrem tot immortalibus facinoribus, vitam gloriosissimo fato conclusit; & ab armis auspicatus, æternæ gloriæ cursum sub armis terminavit! Epitaphium ergò illi non in marmore, non in ære, non in auro, nec argento, sed in his vivis ac spirantibus pectoribus nostris, perpetua grati animi testificatione, excidamus: ut, cujus memoriam totus complectitur orbis, cujus famam nulla regio concludit, cujus gloria cœli tantum spaciis terminatur, illius viva animi dignitas nostra & posterorum æterna recordatione celebretur. Acerrima verò **HELMFELDI** **EXCELLENTISSIMI** quid & in hâc, & post in Polonica obsidione, præstiterit vigilantia,

lantia, cum remotæ oræ loquuntur; tum ipsa *Riga*, gratitudinis ergò, per majores, quàm ego fortè unquam ero, testatur Interpretes. Quemadmodum antiqui illi Celta, populi fortissimi, cum ruentem è nubibus tempestatem, & præcipitatos ab excelso monte torrentes animadverterent, scutatam illis sinistram, & galeatum caput, objiciebant; ita **HELMFELDIUS** omnibus belli nimbis, ac tempestatibus, intrepidum caput, ac armatam ferro dexteram, opponebat. Nulla erat tanta hostium vis, quàm manu fortissima non dissiparet; nullæ minæ tam atroces, quas non contemneret, nulli conatus tam arduos, quos sua virtute non retardaret. Sed, ut dixi, fatiscit animus meus sub tantorum Heroum, cæterorumq; Virorum fortissimorum laudibus; ut satius sit, piè tacendo eas ruminari, quàm leviter tangendo deterere. Surgite, magna ingenia, surgite, & ista Sidera, cum reliquis ducibus, universoq; exercitu, æternitati, cui se devoverunt, cui se devovent, pro meritis quemq; suis, consecrate. Mei nec propositi, nec virium est, eorum, quorum magna facta magnos quoq; præcones efflagitant, encomia, justa lancee, appendere. Cum illorum igitur, benevolentia, ad ipsam svavisissimam Patriam collaudandam, ut proposui, conversus, ante omnes, ceu par est, *Ampliss. Senatuum*

considerandum, mirandum, magnificiendum vobis sisto. Excedunt, fateor, insignia Ordinis hujus merita exercitiorum etiam captum, nedum meum: sed si eos tantum, *Patres Amplissimi*, laudum vestrarum præcones admittitis, qui omnia, quæ gesistis illo tempore, pro sua dignitate atq; magnitudine, exsequantur, nunquam, opinor, quod tamen omnes ab omnibus meruistis, laudabimini. Equidem nulla virtus nominari poterit, quæ non clarissima Reip. hujus lumina eluxerint dudum, & adhuc eluceant: eminuerunt tamen, præ aliis, in toleranda gravissima illa, obsidione quatuor; quæ, si æstimare magna dextrè possum, fortunam hujus Urbis, post cœlestis Rectoris clemētissimum præsidium, quadratam planè ac immobilem reddiderunt: circumspecta Prudentia, solida Animositas, indefessa Vigilantia, ac sanctissima Integritas. Pacis tempore, quæ bello usui esse possint, parari debere, omnes quidem unanimi ore clamitant: at ipso facto diversum longè ab eo sapissimè comprobatur. Videas homines, qui, ubi clavo Reip. semel admoti sunt, suis solùm cupiditatibus velitentur; publicosq; reditûs vel privatis loculis suis, ac gulæ atq; voluptatibus reliquis, damnent; vel inutilibus muneribus, ac operibus, quo quidem crimine Roma vetus infamis

famis fuit, insumant. At Ampl. Senatus noster, qui, ex præscripto Platonis, ipso semper opere philosophatus, longè aliam menti infixam habuit, habetq; sententiam. Versatæ ipsi perpetuò ante oculos variantes rerum humanarum vicissitudines: sagacissimo oculo, eam, quæ hæctenus jactavit nos, prævidit procellam: idèò, relictis curis omnibus, id unicè egit, ut Resp. munita satis adversus illam foret. Ac si quis, hæc placendi studio à me disputari, fortè autumat, is, nisi piget, in publica mecum descendat armamētaria. Intuebitur ibi, ut multa, ita ingentia tormenta bellica, vasta ac ponderosa mortaria, aenea omnia, polita, disposita; præterea sclopetas, hastilia, frameas, gladios, loricas, & sexcenta, ad validissimum hostem sustinèdum, instrumenta alia. Quantis autem sumptibus ista omnia constituerint; ne ipsi quidem *Patres* in rationes venire, præ patriæ amore, volunt. Tanta certè sunt, quibus, uti & pluribus aliis, Urbs hæc nostra cum nobilissimis, & longè vastioribus, civitatibus contendere possit. Nec minori providentiâ aliti subinde, & informati Tormentarii ac Pyrobolarii: qui cum illa, quæ dixi, instrumenta curatè servarent, tum, re ita flagitante, peritè adversus quemvis hostem tractarent. Mirantur, credo, homines le-

gentes, durante obsidione Moschica ultra se-  
decim millia globorū ferreorum ē tormētis  
nostris in adversas vineas, castra, vias, ac fos-  
sas ad multam hostiū cladē, effusa fuisse: sed  
magis mirabuntur, ubi tantum & globorum,  
& pulveris nitrati apparatus superfuisse, ut  
licet ille continuus fulminantium tormen-  
torum fragor multo longius tempus dura-  
turus fuisset, tamen earum rerum inopia  
non metuenda foret, compererint. Quid  
illud? nonne inter laudatissima absolutissi-  
mæ prudentiæ specimina referri meretur?  
Cum annis abhinc, si rectē memini, decem,  
eluvio illa soluti Duinæ violentissima, non  
tantum, revulso monte Cobbio, fossas com-  
plevisset, sed etiam multa egregia opera de-  
molita, ipsis vallis, qua vortici opposita erāt,  
maximam noxam intulisset; qua celeritate,  
qua sedulitate, qua concinnitate omnia, &  
multo quidem magnificentiora, quàm an-  
tea, restaurata fuerunt? Sic nimirum pia  
prudentia, & prudens pietas publicarum  
calamitatum dispendia, in emolumentorum  
ac commodorum compendia, convertere  
novit. Sic provida Patrum cura, illo dilu-  
vii prodigio excitata, ne hostium infensissi-  
morum inundatio obruere nos posset, fos-  
sas novas, suffartas utrinq; latisimas, pro-  
fundissimas: valla verò ut satis excelsa; ita  
longè

longè tenacissima, robustissima, opposuit.  
Verum enimverò instrumenta ac muni-  
menta ista omnia, licet spectabilia, licet mi-  
rabilia, timidis tamen profutura parum fu-  
issent. Frustra ignavi firmis arcibus sese in-  
cludūt: ipse mœnium splendor plures pro-  
cos allicit. Non excelsæ ferratæq; turres, sed  
inviētus Hectoris animus, quamdiu inviētus  
ipse, excidium Trojæ retardavit. Nec te,  
amantissima Patria, fossæ ac valla, quibus  
cincta es, arma ac tela, quibus abundas, tu-  
tata fuerunt; siquidem nihil unquam hu-  
mana manu fabricatum est, quod adversa  
vi debilitari, superariq; non possit. Virtus;  
sola, inquam, Virtus propugnatorum tuo-  
rum, per Dei gratiam, illasam te ac incolumem,  
ex rabiosissimorum luporum faucibus,  
eripuit. Ignorasti hætenus, quantos Viros  
in sinu tuo foveres: quàm multos Horatios,  
Mutios, Curios, auspiciatissimo puerperio  
enixa dudum esses: jam, robur ac fortitu-  
dinem ipsorum periclitata, tutius, inter tot  
bellorum insultus ac tumultus, acquiesce-  
re potes. Nam cogitate mecum, A. quan-  
tos exercitus illo tempore, adversus nos, Ho-  
stis eduxerit: cogitate, quantus eum terror  
præcesserit, quanta crudelitas quaquaversum  
moventem stipaverit. Inhumana, & plus  
quàm Cyclopica in miseros agricolas edi,

comperimus, vidimus, sensimus exempla. Obstupescet posteritas, ubi ex historia nostra cognoverit, à furiata Moschorum multitudine colonos tristes, non modò trucidatos, (hæc n. plerubiq; proh dolor! insani Martis est iniquitas;) verùm etiam vivos discerptos, mutilatos, cratibus impositos, verubus affatos; aliasq; innumeras carnificinas expertos. Illisof infantes parietibus, aut infixos palis; puellas teneras, reliquumq; sexum infirmiore passum, quæ impuræ promiscui vulgi jussissent libidines. At postquam ad ipsam *Rigam* castra inimica mota fuerunt; tùm demum à maximis, à minimis, omnia irarum repagula laxata, omnia sævitæ instrumenta expedita fuerunt. Disposita igitur, per multas vineas, tormenta globos maximos, (nam septuagesimum pondo quidem excusserunt,) fulmineo impetu in nos catervatim evomuerunt. Quis verò catostorum, quibus & tot incendia subjecta, & multi homines vulnerati, ambusti, laniati, enecti; non una domus læsa, lacerata, proruta, soloq; ferè æqvata fuit; violentiam, sine horrore, recordatur? Quis reliqua, sed ea infinita, machinamenta non attonitus ruminatur? Isti tamen difficultatibus tātum abest, ut succuberit magna *Patrum* virtus, ut, inter ipsas adversitatum nubes, serenior subinde effulserit.

Hæc

Hæc nimirum alacritas universam Civitatem ad viriliter, ad fortiter durissima quæq; adæcunda, suscipienda, perferenda, commasculavit. Quid in bello ductus vel commodent, vel noceant, haud obscurè significarunt veteres: dum majoris exercitum cervorum, duce Leone; quàm leonum, duce Cervo, faciendum censuerunt. Sed jamdiu, opinor, exspectat vestra moderatio, P. A. ut istis, licèt tenuibus, tamen veris, tamen piis præconiis, ipsius etiam *Adm. Rever. Ministerii*, quod, tota illa obsidionis durissimæ tempestate, in consolandis, exhortandis ac animandis civibus, manus vobis socias fidelissimè accommodavit, laudes interferam. Quoties sacri illi Oratores, dicata Deo pectora, è suggestu & Vos commonuerunt, ut, quod agebatis, ageretis; patriæq; incolumitatem, si ita fata juberent, sanguine vestro redimeretis; & reliquos Civitatis ordines exstimularunt, ut ad vestrorum exemplorum instar, divina ope freti, hostium furias contemnerent, exoptatissimumq; contentionum suarum finem sibi pollicerentur. Leonino robore, & Vos *Consules*, ac *Senatores*, & vos rerum *sacrarum Antislites*, rabidi hostis petitiones semper sustinuitis! Venit ergò mihi hoc loco in mentem *Insignium Rigenisium*; quæ si, A. paululum mecum contemplari volueritis, facient ista confido, ut

C 4

vos

vos operæ pœnitere non possit. Altrinfecus igitur confurgere turrin geminam videtis; in earum medio porta patet, sub cujus elevatis catarrhæctis leo conqviescit: inter fastigia claves duæ erectæ sunt, quibus tamen parvæ crux impendet: ex utroq; latere acclinat se turribus robustus leo, easq; quasi connitens suffulcit. Quid sibi singula velint, ego quidem hætenus ita conjeci, vestrum a. nunc erit, A. iudicium, an dextrè omnia adsecutus sim. Turres proinde, nisi egregiè fallor, ipsa Urbis fortalicia firmissima, inexpugnabilia, denotant: hæ enim antiquitus, in mœnibus erigi consueverant, ut cum desuper tela commodiùs in hostes mitti, tum adversi ictus faciliùs, feliciùs, elidi possent. Leo sub passis portis procumbens, animosam habitatorum fortitudinem declarat. Non n. illi unquam, ingruentibus hostibus, timidorum animalculorum more, in cavernas sese abderunt; sed, ceu leones, adverso pectore eosdem exceperunt. Possẽm hîc latiùs evagari, & quod dixi, multis documentis comprobare, si id à me efflagitaretur, aut Vestræ potiùs patientiæ non molestum foret: sed ad cætera transeo. Claves ergo supernè sustentæ, quid aliud, nisi firmamenti Livonici prærogativam evincunt? Quis sedulorum est patrum familiâs, qui non vespertino tempore, oc-

re, oclusis foribus, à famulis repetitas claves ipse suspendat, servetq;? Mater non familiæ, sed totius regionis, est *regia Riga*, & jam inde ab incunabilis suis, jus clavium sibi vindicavit. Multi antehac Livoniæ dominatum affectârunt, sed quia *Rigæ* nostræ claves extorquere nequiverunt, irritò conatu recedere coacti fuerunt. Crux superimposita incolæ omnes, & singulos, professionis suæ commonefacit: ipsos nempe Christianos atq; Crucianos esse: qui sepositis secularibus curis, sub vexillo Christi, tâquam in acropoli quadam, pro Ecclesia, dimicare, salvificam verò doctrinâ in gentilitati vicinos populos disseminare teneantur. Leones ambo *magistratus*, ut tandem, quò tendebam, perveniam, Hierarchiæ exactissimum sunt instar; & perpetua *Magistratus Politici ac Ecclesiastici* studia atq; merita, in hanc Remp. delineant. Nonne enim Leo Politicus cum semper, tum præcipuè, cum hænis Moschicis cingeremur, inter tot insidias, fremitûs atq; insultûs cavit, ne credita sibi Urbs præda illorum fieri posset? Nonne Ecclesiasticus, jam inde à tempore salutaris Reformationis; ne omnis generis lupi, irruptione facta, ovile Christi, quod in hac Patria nostra sibi collegit, divexarent atq; exhaurirent; ne apri vineam Domini subruerent; sese piè simul & fortiter

opposuit? Sed revocandam video orationem ad veteres gyros, unde nos jucundissima ista contemplatio, non tamen absq; fructu dulcissimo, paulisper avocavit. Fortitudo, inquam, *Patrum Conscriptorum* ad versa cuncta edomuit; fortitudo hosti tenacissimo capessendorum saniorum consiliorum necessitatem imposuit. Magna virtus, & inter ipsa cœli numera censenda: sunt tamen aliæ, hæc nihilo minores. Nam quibus verbis efferam indefessam illam Patrum, sive sedulitatem, sive vigilantiam; cum in tanta Urbis, undiq; laborantis, concussione, per dii ac per noctes, partim in curia consultantes, ac necessaria procurantes, partim in ipsis vallibus, ubi immixtis tormentorum fulminibus perpetua glandium plumbearum grando irruebat, inter cives, excubantes, patriæ salutem non deliciis ac otio, sed ipsis animi corporisq; naturalibus refectioibus anteposuerunt? Referre possim, quando illi si Senaculo globi ignei ipsum penè confessum, magnam, nî Deus advertisset, post cladem, penè disturbaverint. Nam illa pilarum vestibuli subversio, & periculum, quod adstantes tum *Coss.* ac *Sen.* vix, parva quadam declinatione, evitârunt, ipsa loquitur; & mirandam Dei protectionem summopere commendat. Quoties, qui in vallibus ac pinnis versabantur, tam vicina, tam fre-

freqvêti strage, præter suam suorumq; spem, indemnes ægrè esse potuerunt? Et tamen nemo omnium fuit, quin stationem sibi adsignatam fortiter defenderet, omnesq; officii sui partes sollicitissimè exequeretur. Et quid mirum? Ipse infucatus amor, ipsa integerrima fides, quæ *REGI SUO, & NOSTRO*, sese obligaverant, sanctissima eorum pectora inflammavit, ut ea, de quibus hætenus satis tenuiter, minimeq; pro casuum gravitate, verba feci, præoptissimis, constantissimis, animis subirent, perferrent, superarent, exsequerentur. Saguntini tanta olim erga Romanos fide fuisse feruntur, ut, licet Pœnorum benignitatè experiri potuissent, tamen, ne fœdus temerarent, postquam extrema quævis perpessi fuerant, in pyram ardentem, quam in foro extruxerant, pretiosa sua, & hinc se ipsos, præcipitaverint. Meliùs *Senatus Rigenfis*; qui, cum sinceritate erga *REGEM SUUM CLEMENTISSIMUM*, animum simul & arma, quibus corpus tegitur, quibus hostis prosternitur & fugatur, quibus victoria acquiritur, imperterritè conservârit. Nullo quidem non tempore *REGIBUS SUIS*, ex quo illis parere cœpimus, fidei ac integritatis Patria Urbs experimenta dedit: sed tamen *CAROLUM GUSTAVUM, VICTOREM*, tanto amore, fide ac constantia prosequitur, ut *Senatus*, atq; ad eò universa

versa Civitas, fortunam REGIS suam existimet; & si, (quod benignissimus Deus paternè avertat!) Ei adversi quid accidat, simul sibi cum SVECIA pereundum esse, in animum induxerint. Maeste integritate ista *Viri fortissimi!* Propitio vos COELESTE NUMEN, ob eam respicit oculo, &, post eum, *amantissimus vestri REX* gratissima, pretiosissima destinata agonismata.

Vos etiam, Vos, *utriusq; Contubernii Tribb. ac Seniores*, fidissima, fortissima pectora, compellendi estis. Vos enim *Ampl. Senatui*, adamantino concordiae vinculo, colligati, laudatissimis ipsius consiliis, agonibus, molitionibus, succenturiando, hanc, quam tenuiter prædico, palmam simul peperistis. Cum ocellus ille non Asiæ solum, sed totius omnino Orbis, Hierosolyma, obsessa esset à Vespasiano, quanta, Deus bone! benè ac feliciter gendarum rerum adminicula, non tam amisit, quam abiecit pestilens discordia? Tricies centena hominum millia inclusa urbi fuisse scribuntur: & tamen, inæstimabilis illa multitudo quid memorabile adversus hostem tentavit? quid patravit? Scilicet Cadmeo furore percita, intestinis odiis, ambitiosis secessionibus, perniciosis seditionibus, cruentis cadibus, sese mutuo ita attrivit, ut reliquæ non tam vincendæ, quam jugulandæ, à Tito, fuc-

fuerint: qui divinam nemefin, & gentis abjectæ extremam cœcitatē reputans, perlustro templo, reliquisq; arcibus, non abs re: Cum Deo pugnavim⁹, viri! exclamavit. Huc nempe calamitatū intempestivæ contentiones atq; dissidia potentissimas perducūt tādē respublicas. At Vobis laus ista erit sempiterna, quòd Senatus salutaribus placitis, consveta pietate, acquiescentes, ad similem promptitudinem omnem civitatem, exemplis vivis, exemplis magnis, erexistis? Nam cui, etiam ignavissimo, animus non accederet, cum videret, vos plerosq; incanis capitibus, nonnullos extrema ætate, arma, pro patriæ salute, moventes? Cum deprehenderet, in imperiis exsequendis juvenili esse alacritate, quibus tamen anni & virtutes imperia ipsa sponderent? Cum animadverteret, vos cum infimæ fortis hominibus, tanquam cum paribus, versari, omniaq; pericula communia habere? Cedant Consulares, Curules, Emeriti, veteris Romæ: illi enim, irruentibus Gallis Senonibus in urbem, cum Capitolium, quod solum supererat, capere omnes non posset, ridiculam, & nescio an fidem habituram, rem patrârunt. Apertis enim januis in curulibus sellis, cum insignibus magistratum, quos gesserant, sacerdotiorumq; quæ erant adepti, confederunt: ut scilicet, quod

quod Valerius Maximus interpretatur, in casu suo splendorem, & ornamenta vitæ præteritæ, retinerent. Vos contra civili illo, & gravi, cultu deposito, casides sumistis, saga induistis, gladios accinxistis, sclopeta ac reliqua arma expeditistis; ut, si quæ sinistra fors ita tulisset, fortissimorum virorum more, potius pugnando animam amitteretis, quam pecudum ritu, inermes etiam trucidati, hostibus, & Moschis quidem, victoriam incruentam cederetis. Sed & *Civium* cæterorum laus vestra est, à qua mihi jam temperare amplius non possum. Illi igitur vestro, P. A. & vestro, *Tribb. & Seniores Spectat.* exemplo excitati, nihil non, quod salus publica efflagitare videretur, cupidissimè amplexi, alacerrimè exsecuti fuerunt. Miratur aliquis, Athenienses, quòd quondam, adversus iniquitatem Lacedæmoniorum mœnia urbis suæ restauraturi, nec sacro, nec profano loco pepercerint? Desinat, quæso, mirari, Rigenes cives, ut communi libertati ac saluti consulerent, nè corporibus suis pepercerunt. Meministis, P. A. civitatis vestræ piam promittitudinem, promptamque pietatem, & tamen illius commemoratione, licèt nè id quidem dignè à me fieri posse confidam, mirum in modum demulcemini. Nobili genere nati, tenerrimè educati, & quibus domi ser-

vitiorum abundè alioqui esset, tamen ipsi univros foflarum saburram, multo cum sudore, ante hostis adventum evexerunt: post, ingruente eo, abjecta toga, sagum induerunt, armaque tam dextrè, tamque peritè, tractarunt, ac si in castris longo usu militiam addidicissent. Quin, cum plerique eorum domos in vicinia haberent, tamen, ad depellendas cœli frigidioris humidiorisque injurias, tentoriis aut semiopertis cavernis contenti, quavisque novis castris patriam obvelantes, pro ejusdem incolumitate diurni nocturnique excubuerunt. Nec fortissimi homines, presentissimis mortis periculis, ab ista alacritate absterreri unquam potuerunt. Jamtum credo animo præcipitis, quomodo hic lapide excussio petitus; iste trabium asserumve fragmentis vulneratus; ille glande plumbea transfixus: cum horrore recordamini, quomodo tormentorum ictu prostrati multi, atque exanimati; quomodo totæ contignationes, cum multis excubitoribus, immani castrostrorum violentia, proruptæ, disceptæ, dejectæ fuerint: quis tamen omnium fuit repperitus, qui quodvis leti genus, præ patriæ carissimæ amore, virili animo non contemneret? Qui non ita secum: Anne ergo parcam vitæ meæ, quam paulò post hostis, parcere nescii, arbitrio ponam? Anne su-

pereffe uxori ac liberis volam: ut, illorum injuriis ac cædibus excarnificatus, tandem tamen miserrimè peream? Cur non potius, irarum cæstro pereitus, in media hostium agmina prorumpo, multaq; illorum strage, & meis & meorum manibus hostias gratissimas præmitto? Fac mihi ultimum aut hunc, aut crastinum, diem fore: dulce tamen & decorum est pro patria mori. Quoties v. in colloquiis quotidianis optare eos meminimus: ut hostis congregi armis apertioribus, atq; propioribus, auderet. Nam volonum excivibus, in faciendis eruptionibus, animosa præsentia, præsensq; animositas, æstimari inde potest, quod etiam septuagenarius senilem sanguinem patriæ incolumitati impendere non dubitaverit. Jam si in incomparabilem civitatis nostræ tolerantiam vela orationi meæ dederò, quot quamq; egregia ejus proferentur mihi encomia. Viderant pleriq; maximas pretiosissimasq; materiæ quæræ strues concremari; suburbanas hortorum atq; aliarum deliciarum commoditates succidi atq; exuri; nec non alia alibi damna, innumerabilia, ingentiaq; inferri; dissipata non paucorum ædes catostis, quæ vocare licet, atq; pyroptis; alèdi, in tâtâ rerum omnium penuria, commeatuq; penè intercluso, milites: auxiliorum, quanquam illa aliquando in-

do instabant, frustranea tamen, toties, pollicitatione lactati fueramus: ipsissima omnibus, momentis singulis, mors imminebat: tantum autem abest, ut quicquam de constantissima patientia sua mutaverint cives, ut rara querela audita, nulla unquam in quovâ alienatæ mentis significatio notata fuerit. Cum Mardonius olim, legatione gemina, exulantes Salamine Athenienses ad deditiorem, Persis faciendam, sollicitaret; hoc homines laudatissimi responsum dedisse: Quoad Sol consuetum iter servaret, Persarum sibi societatem fore abominabilem: & Cyrillum, quod conditiones acceptandas censuisset, lapidibus obruisse, non sine æterno decore suo, scribuntur. Idem animi civitatem Rigensem, cum semper, tum præcipuè illa tempestate habuisse, perpetuoq; habituram fore, compertum habemus pro certissimo. Sacramentum illi, Regi gloriosissimo, Regi gratiosissimo, datum, temerarent; qui quamcumq; proditionem quavis noxa nocentiorè, morte autem acerbissima acerbiorè, quovis tempore, duxerunt? Quibus cum dedecus indelebile, tum illa certò eventura mala obversarentur? crudele imperium, facultatum rapinæ, conjugum ac liberorum divexationes, & inter inextricabiles damnorum leges, æterna servitus. Aut mori, aut pristinam conservare

libertatem, omnes atq; singuli constituerant. Quid ergo mirum, tanta; juxta *REGIORUM OFFICIALIUM* robur ac fidem, militum tolerantiam ac obsequium; *Senatus Amplissimi* Providentia, Animositate, Vigilantia, Integritate: tanta *Contuberniorum* Concordia atq; Alacritate; tanta deniq; *Civitatis* universæ Promittitudine, Fortitudine, Patientiâ, hostium cõcitatisimorum rabidos impetûs paulatim ita elanguisse, ut sesquimestre spatium, irritis ubiq; conatibus, defatigati, de fuga potius, relicto non exiguo impedimentorû, aliorumq; utensilium, apparatu; quàm de ulteriori oppugnatione, in multam cladem atq; ignominiam suam cogitarent? Sed nova promachorum mirabilium legio, mirificaq; anteqvàm ad finem excurreret oratio mea, sistenda vobis erit. Cum Antoninus, qui, ob indefessum sapientiæ studium, Philosophi nomen sortitus fuit, in confiniis, credo, Bohemiæ, à nongentis septuaginta quinque; Marcomannorum millibus circumdatus, ferro simul ac inopia ad desperationem usq; urgeretur, & nec opem, nec effugium, invenire posset; probatissimi Autores, cohortem Christianorum, quæ in duodecima legione, sub laudatissimo Imperatore, stipendia faciebat, positus in terra genibus, & fufis ad Christum precibus, impetrâsse, prodiderunt: ut  
subi

subitò in exercitum Romanorum sitientem pluvia largissima cœlitû emitteretur, in Quados verò tonitrua, fulgura atq; fulmina defævirent; & ipsa cohors fulminatricis nomen sortiretur. Et nos, A. non humana, sed divina manu, quam tot supplicia, obtestationes atq; gemitûs, nobis conciliârant, ex ipsiq; belli, atq; adedò internecionis, faucibus erepti sumus. Videre mihi videor illam ad confessiones sacras, cœlesteq; Christi epulum, catervatim ruentium devotionem: propono menti meæ puerorum ac puellarum querimonias, virginum lacrimas, matronarum planctus, viduarum lamenta: cogito afflictañtise se, & ad humillimam deprecatione procumbentis, Ecclesiæ faciem. Unius olim Moysis tacita suspiria auxilium Dei provocâsse novimus; & tamen tot millium miserimos ejulatûs, obsecrationes, vociferationes, vim aliquam exorandi Numinis habuisse negabimus? Ejecerat quidem fulminatricem hanc, apud nos, legionem, è templo Petrino, irruentium globorum ac catostorum fragor ac terror: sed enim illa memor, quæ Salvator suus inculcaret; indefinenter nimirum orandum esse; eò frequentior in cathedrali coit, non destitura precibus: donec audiens Altissimus auxilium desuper ac refrigerium mitteret. Quid verò? manipulus iste, quem

Schola hæc etiam, inter acerrimos conflēt, habuit, nonne ad optatissimam liberationē, mirandamq; victoriam, plutum contulisse censebitur? Ceciderat RIGA superba sua prævaricatione, sed humillima supplicatione, contra crudelissimorum hostium voluntatem, contraq; omnium spem atq; expectationem, erigi, firmari, metui rursus cœpit. Non ingratus autem solū, sed & impius sim, si religiosorum in Christo Fratrum, per Sveciam, Germaniam, & alia loca, efficaces intercessionēs sicco, quod ajunt, pedetrascam. Illi igitur, pro sincerissimo amore, quo nos complectuntur, proq; periculorum, quibus urgebatur, magnitudine, nullo non tempore publicè ac privatim, Deo, factis etiam votis, supplicarunt: ut, nostri miserus, felicem agoni dubio exitum largiretur: quorum pietatem & ipse benignissimus rerum humanarum Arbiter comprobavit, & nos, æternis præconiis, omniq; officiorū genere, demereri laborabimus. Horū proinde omnium vocibus, precibus, gemitibus atq; planctibus, cum *lenissimus Miserator noster* quasi obtunderetur, non potuit, non voluit auxilium suum ampliùs differre. Misit ergo, misit in nos pluviam solatii, imbrem refrigerii & confirmationis: in hostes verò nostros tonitrua Panici cujusdam terroris, fulminā

into

intolerandæ consternationis. Ne credite, *Rigenses*, & quicumq; tūm pro salute hujus Urbis atq; provinciæ laudabiliter quidē, fortiterq; excubistis, vestris consiliis, fortitudine ac gladiis, hostem superatum fugatumq;: opponebat ille, prudentiæ vestræ inextricabiles vastitici suæ labyrinthos; animositate furiosum impetum; armis inæstimabilem, incomparabilem, apparatus: ut vobis etiam, ac omnibus æquis, iudicibus, longè inferiores illo fuerimus. Vestra coram Deo humiliatio, devotio, supplicatio, victoriam hanc memorabilem, ad posteritatis stuporem, ad omnium bonorum lætitiā, peperit. Non gladiatorum vestrorum mucro, non hastæ ac bipennes, non sclopetæ ac siphones, non tormenta ac mortaria, non deniq; quicquid unquam machinati aut commenti estis; sed supplicia & suspiria devotissima, hostem depulerunt, inq; tam atrocem dederunt timorem, ut è conspectu finibusq; nostris se proripuerit, inq; itinere, interrogatus de suis successibus, fassus fuerit: Ryha, ut sua vernacula loquebatur, nie Ryha, ale postrya! h. e. Rigam non esse Rigam, sed novaculam. Quid ergo decentius, quid magis pium erit, quàm ut cum devotissimo Rege, Davide, denuò exclamemus? Nisi JEHOVA adfuisset nobis, cum insurgerent con-

-o-3-11

D 3

tra

tra nos hostes; vivos nos absorbuissent, ex-  
 candescete in nos ira eorum. Aqua inun-  
 dâset, torrens superâset nos. Superâset  
 nos torrens aquæ superbissimæ. Benedi-  
 ctus JEHOVA, qui non exposuit nos prædæ  
 dentibus eorum. Anima nostra, ut avicula,  
 erepta est laqueo aucupantium; effracto la-  
 queo erepti sumus. Auxilium nostrum  
 in nomine JEHOVÆ, qui fecit  
 cælos & terram!



P A X  
 S V E C O .  
 M O S C O V I .  
 T I C A .

## MUNUS,

Humillima Seculi præsentis veneratione ex-  
cipiendum, circumspèctissima Posteritatis  
venturæ memoria propagandum, inter-  
minabili Æternitatis immotæ con-  
stantia custodiendum !

PATERNA NAMQVE  
OMNIPOTENTIS ÆTER-  
NIQ; NUMINIS, DEI  
TER OPT. MAX.

*IRENARCHE SUPREMI, UNICI,*

qui dudum,

securitati, contemptui, impietati, sceleribus,  
flagitiis, piaculis, impœnitentiæ nostræ, ju-  
stissimo zelo, cum succenseret, opus à placi-  
dissima benignitate sua alienissimum fa-  
cturus, ab australi parte jam incinctis ex eo-  
is plagis, bellum novum, inopinatum, cru-  
delissimum, nocentissimum,  
exitiale,

*ejus fama consternaremur, adventu tre-  
pidaremur, congressu funderemur, celeritate corripe-  
remur, sevitia contrucidaremur, pertinacia ad ulti-  
mum penè desperationis præcipitium adigere-  
mur,*

immiserat;

Et tamen, in ipso flagrantium irarum,  
perimentium pœnarum cursu,

(2)

angoribus, penitentia, deprecationibus, suppli-  
 ciiis, lamentis, ejulatibus, suspiriis, deliquis-  
 miserorum propitius,  
 dejectis solatio, laborantibus præsidio, exa-  
 ctis perfugio, perituris saluti, conclama-  
 tis auxilio, sed inusitato, tempesti-  
 vo, admirabili,  
 ut Hostes sua sponte, furore edomito, mente ful-  
 gurita, armis abjectis, fugam, pro pugna, degene-  
 rem meditarentur,  
 fuerat,

CLEMENTIA:  
 Felicissimis

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRIN-  
 CIPIS AC DOMINI,

C A R O L I,

DEI GRATIA,  
 SUECORUM, GOTHORUM, VAN-  
 DALORUMQ; REGIS, ET PRINCIPIS HEREDI-  
 tarii, Magni Ducis Finnoniæ, Ducis Scaniz,  
 Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdzæ,  
 Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ, & Vandaliz,  
 Principis Rugiæ, Domini Ingridiæ & Visma-  
 riæ; Nec non Palatini Rheni, Bava-  
 riæ, Juliz, Cliviz, & Montium  
 Ducis, &c.

PRIN-

(3)

PRINCIPIS

PII, AUGUSTI,

PACIFICI, TRIUMFATORIS,

AUSPICII:

PROVIDISSIMIS

ILLUSTRISSIMORUM AC EMINEN-  
 TISSIMORUM

REGNI SVECICI PROCERUM, AC  
 SEORSIM,

ILLUSTRISSIMI AC GENEROSISSIMORUM  
 DN. LEGATORUM, quas indefesso, nec un-  
 quam satis prædicando, pro Regiæ Dignitatis  
 fastigio, Patriæ commodis, Ecclesiæ tran-  
 quillitate, bonorum emolumentis, in  
 utraq; fortuna, studio, sanctis-  
 simè fovent,

CURIS:

Tantos enim, tam beneficos, tam conspirantes, bonum  
 tantum requirebat Paravios:  
 cum

MAGNO DOMINO ET TSARE  
 ALEXEI MICHAELOVITS,  
 MAGNO DUCE RUSSORUM

&c. &c. &c. &c.

POST BELLUM, ET ASPERI, ET NOXII, TRI-  
 ENNALIBUS PRIMUM INDUCIIS, SUFFLAMINATAM  
 violentiam; sed jam, amicissima transactio-  
 ne, sublatis penitus causis, suppressas  
 remoras, composita dissidia, eluta  
 damna;

Pax

P A X,

NOMEN DULCISSIMUM, RES SALUBER-  
RIMA; PAX GAUDIORUM OMNIGENORUM FOECUN-  
disima mater, cœlestis beatitatis idea, re-  
ligionis asylum, legum arcopagus, artium  
optimarum academia, virtutum amphi-  
theatrum, contentionum & voto-  
rum nostrorum ultima meta,

*In Vico hujus Provinciae, Kardis, cuius obscuritati,  
isto facto, immortale nomen accesserit! XI. Cal.  
Quintil., qui albicanti usque calcu-  
lo notetur!*

REVOCATA, CONCILIATA, INSTAURATA INQ;  
æternum, ah sit etiam talis! so-  
lidata est.

Tu ergo

callidis nuper consiliorum vafrementis  
intercepta, vastis expeditionum opero-  
farum molitionibus petita, ingentibus co-  
piarum innumerarum agminibus operta,  
dolendis præliorum sinistrorum cladibus  
fatigata, pro obrosis pedum durissimorum in-  
sultibus proculcata, iniquo servitutis turpis-  
simæ jugo pressa, gemendis barbarici furo-  
ris carnificinis excruciatâ, injurioso efferati  
Martis arbitrio prensata, elusa, expoli-  
ata, afflicta, ac non uni morti

dedita,

Ani-

Animum tandem recipe, LIVONIA:

Tu verò,  
tot, frustra, exercitibus obsessa, tot machinis  
oppugnata, tot dolis fatigata, tot fidei ac forti-  
tudinis egregiæ documentis  
probara,

Plausum ede, RIGA mea.

Vobis sanè, de quarum incolumitate actum  
præcipue fuit, cōspicua SUPERIORUM PIETAS,  
colenda, hodiernis Decembris Calendis, per  
universas SUECICÆ REGNI ditiones, solenni  
Supplicatione, incentiva gra-  
tissima facitatur.

Nos, ne Schola nostra, inter publica tri-  
pudia, excors omnino censeatur, Nonas  
occupaturi, è Pube studiosa,  
Tres, Genere & Genio, Nobiles Adolescentulos,

HENRICUM AB ULENBROCK,

THEODORICUM à Dunten /

ANTONIUM CHRISTIANI,

FELICITATIS DESIDERATISSIMÆ, QUANTUM æ-  
tas ista assequi poterit, præcones, habendæ, in au-  
ditorio majori Panegyri, producemus.

HUC VOS, ILLVSTRIA SVECICÆ LVMINA,

Magnifici Patriæ Patres, Reverendi Præfules,

huc vos, Artis & Martis Decora,

huc vos, Cives atq; Exteri,

promptitudinis laudatissime venerabundo intuitu,  
sine prolixiori ceremonia, obsequiosissimam a me voce,  
ad dictum diem, invitat,

JOHANNES HORNICEUS, SCHOLÆ RECTOR.

(6)

GAUDIA PACIS.

ORAT. I.

HENRICI AB ULENBROCK.



Qvis, Illustris ac Generose Gu-  
bernator, Magnifici, Nobilissimi, Admodū  
Reverendi, Amplissimi, Experientissimi,  
Consultissimi, Clarissimi, Spectatissimi; Gratiosae Domi-  
ne, Mecanates ac Patroni æternū suspiciendi;  
quis rerum omnium tam imperitus æstima-  
tor est, ut, obiter tantū inspectis historia-  
rum monumentis, non animadverterit, Ro-  
manos gentes omnes cæterarum artium cul-  
tu æquasse, militaris verò rei gloria longo  
intervallo post se reliquisse? Non est institu-  
ti mei prolixam hoc loco narrationem con-  
texere; quos populos edomuerint, quantos  
hostes, quā parvis sæpe copiis, straverint:  
illud tantū mihi expendite, in vicissimum  
ultimæ Monarchiæ hujus robur, in illo Na-  
buchodonosoris colosso, ferro, quod omnia  
contundit, præfiguratum fuisse: quā hie-  
roglyphicā notā, sinceri Martis filij, Ro-  
mani, nullo non tempore compleverunt.  
Jidem tamen quanti pacem fecerint, cum ar-  
gumentis compluribus constat; tum præci-  
pue eo, quod, (uterat illorum temporum su-  
persti-

Gaudia Pacis

perstitiosa idololatria,) Pacis & templū ma-  
gnificentissimum exstruxerunt, & simulacrū  
ingeniosissimo cælo, quò nimirum in publi-  
cum cultum prostaret, efformarunt. Por-  
tabat autem effigies illa, modò Cereris  
spicas, modò Minervæ olivam, modò A-  
pollinis laurum, modò Veneris rosam, sem-  
per certè Mercurii caduceum. Non ero, A-  
O. O. S. adeò demens, ut profligatam il-  
lam Ethnici cultus venerationem vel excu-  
sem, vel approbem: attamen illa multifa-  
ria pacis insignia, sub quibus sapiens com-  
modorum eximiorum significatio latebat,  
tacitus præterire non possum. Quis enim  
mihi Demosthenes, quis Cicero, uberrimas  
benignissimæ Deæ prosperitates evi-  
dentiùs, ore etiam facundissimo, delineave-  
rit? pax agriculturam terræq; proventus  
& juvat, & tuetur, quod spicæ: pax intestas  
contentionum hostilium iras mitigat, quod  
oliva: pax certaminum victoriarumq; bra-  
bea distribuit, quod laurus: pax civium ex-  
terorumq; animos svavisimo quodam vin-  
culo colligat, quod rosa: pax cæleste bo-  
num est, divinitus, internuncia sancta de-  
votione, missum: facunda svada in terris  
conciliatum: pax publicæ salutis stabilimen-  
tum est, quod; (ut sine meo monitu præ-  
cipitis,) caduceum spectantium oculis repræ-  
sen-

sentavit. Egregia hæc almæ pacis bona sunt! quæ, quòd bellicosos olim Romanos in amorem sui pertraxerint, quis mirabitur; ubi, & ea ipsa singulatim, & quid hodiè *SVETIA*, & sub ea hæc cara *PATRIA* nostra factitet, pensiculaverit? Nunciû miserunt *GENEROSA PECTORA*, *SVÆONES*, turbido Gradivo, & Irenen placidam, post tot annorû lamentabile exilium, avidis ulnis amplectuntur. Quid verto orationis exultantis cursum? Quid tripudians tanto bono animus, tot præsertim pietatis obstrictissimæ stimulis concitatus, comminiscitur? Video, A. video vestrum omnium exporrectas frontes; video sanctissima pectora vestra in publicum, pace nominata, gaudium profusa esse: velitabor itaq; atq; utinam aliquid infantilis ista tenuitas posfit! velitabor tamen, quantum potero, prolubio vestro; & facta omnibus, post cæteras compositiones, *pace Moscovitica*, *gaudiorum communium incentiva*, exili licèt voce, iterabo. Vos *PATRES PATRIÆ*, & mei, studium istud homunculi piè audacis provehite, & post serenos illos *ÆTERNI NUMINIS* radios, animum mihi viresq; renidenti vultu isto, quod facitis, inspirete.

Quod devota piorum V. T. caterva inter multifarios, quibus premitur semper Ecclesia, angores ac dolores, ingemina-

minabat: Quando convertet *DEUS* captivitatem Sion, quasi somniantes erimus. Replebitur os nostrum risu, & lingua nostra exultatione: id nos hodie, malis illis, quibus undiq; incincti hætenus fuimus, liberati, jure meritisimo iteramus. Post tot enim belli nocentissimi horrores ac furores, quibus non solum miserè subacti, sed penè everfi fuimus, reduce aurea pace, somniantibus similes sumus, vixq; ut bonum istud divinisimum verè nobis concessum esse, credamus, induci possumus. Nec mirum sanè animum tot desperationum fluctibus antehac agitatam, jam salute præsentissima, assensum tamen suspendere. Evenit nimirum anxio ei, quod illis, qui diu, in vasto pelago, procellarum arbitrio jactati, licèt in terram descenderint, attamen vertiginè adhuc aguntur, & quasi per foros incerta planta vacillare sibi videntur. Quis vel per nebulam videre dudum poterat, tantis bellorum motibus atq; turbinibus, tantam, tamq; subitam tranquillitatis optatissimæ malaciam successuram? Ea animi facinorum damnabilium conscii conditio est, ut formidare subinde supplicium necesse habeat: ac meritò quidem formidat. Quis autem nostrum tam, impiè temerarius, aut tam temere im-

impious est, qui inficiari audeat, crimina nostra, (quid enim, quod occultare nefas omnino est, dissimulamus?) crimina nostra, & plurima & maxima, severissimam, justissimamque; æterni Numinis iram provocasse? Convicta erat mens nostra malefactorum suorum: ideoque nihil, nisi debitam sibi mercedem, expectare poterat. Expedita jam erant flagella, hærebant scuticæ in tergoribus nostris; & meritas scelera contumacia pœnas luebat. Sentiebamus manifestò immisissimam à divina nemesis plagas illas, easque non tam tolerasse, quam provocasse pœnitebat. Intus inquietis conscientiarum stimuli pungebant, foris hostilis immanitas exterrebat. Quis tam tenaci est memoria, quis tam facundo ore, quis tam firmis lateribus, ut omnia damna recordari, omnes clades eloqui, omnes calamitates nostras proferre possit? Est alioqui bellum malorum, quibus ærumnosa hæc mortalitas premittitur, procul dubio maximum: (cur enim bellicosissimus ille heros, David, suscepta tridua peste, bellum deprecatus fuisset?) & tamen nupera Livoniarum tempestas nova sævitie martirum exempla, horribilia crudelitatis spectacula præbuit. Sed ne in diversum, atque constitui planè abeam, illuc quò vestra me pietas jam dudum prolicit, ad divinæ clem-

men\*

mentiarum venerandam admirationem gratulanti animo depropero. Hæc nimirum est, quæ paterno oculo suspiria, orationes, lamentationes, querimonias, deprecationes nostras intuita, exitium certissimum inopinata salute, perniciosissimum bellum beata pacis tranquillitate commutavit. Arrigite, o mei, abjectas dudum mentes, arrigite! Vera sunt gaudia vestra, à vero bonorum, & verorum & constantium, Muneratore, Deo, condonata. Assurgite è pristini mœroris squallore, & candida pacis amœnissimæ toga amicitimini. Repletur os vestrum risu, & lingua vestra jubilatione. Non (mihi credite,) fallaci specie ludimini; nullus intercedit fucus: omnia quæ vobis dantur, sincerissima exhibentur. Ne vos in anxiam dubitationem tanti boni abripiat insolentia. Insolens gaudii vestri causa est, sed tamen minimè insubida. Quod hostes nuper Livonici soli gladio cruento subtraxerant, id amici modo manu obsequiosa ultrò reddere contendunt. Præveniunt justas Animose Sveciæ vindicias, & certissimam zami-am, incerta commodorum spe, redimere satius ducunt. Ipsa autem Svecia, ut armis populos plerosque anteit, ita beneficiis omnes, si possit, superare gloriosissimum ducit. Audito hoc, Livonia pullum syrma ab-

ab-

abjicit, & festivalem induta stolam, non ad profana gentilium lectisternia, sed ad Christiana, ut Deo sospitatori suo lætas agat gratias, ut ei *Regis*, ac suam, commendet salutem, gratulans festinat altaria. Videt enim, & gaudet, pubem suam, remoto belli timore, animos novos sumpsisse, & apicularum vernarum instar, ad conversas pacis operas conversam esse. Hic diruta exustaq; sacrorum templorum ædificia restaurantur: hic, quæ inter arma siluerant, leges roborantur, & disciplinæ arctiori reditum postliminiò communiunt: hic juvenus ad rerum divinarum humanarumq; cognitionem, aliasq;, humano consortio utiles, artes manuducitur: hic villa nova, è prioris ruderibus, exurgit: hic ager conseritur; hic hortus sepitur: hic ipsa oppida reficiuntur: hic mercatura increbescit: augentur opes, crescunt omnigenæ voluptates, ubiq; gaudiorum maximorum spargitur, germinat, exurgit, floret sementis. Has & infinitas alias voluptates, dum læto oculo contemplatur *Livonia*, & in priores clades, & in aliarum Christianarum regionum calamitates, cogitationes mirabunda dimittit. Lætatur præsentem felicitatem, sed majorem subinde, benè ominata, sibi compromittit. Futurum Dei mi-

*seran-*

*serantis Benignitate, & Regis Severissimi consiliis* brevi sperat, ut nuperorum bellorum vulnera cicatricem obducant; ut omnia maiorum pedum vestigia dispareant. Inde enim gaudiis ejus maximus accedit cumulus, quod renidentes oculos in *Regem optimum* sui; *amantissimum*, lætabunda convertere potest. Habet hoc miraculum arcana animorum conspiratio, ut lætantium numerus, sed præcipuè autoritas, gaudia nostra fuscitet, & non minùs bono, cujus sensu refocillamur, dilatet. Idem hodiè *Livonia Rige* accidit. Octavium Augustum, quod sub adventum suum in insulam, Capreas, veterrimæ ilicis demissi jam flaccentesq; rami convaluissent adeò lætatum fuisse accepimus, ut eam cum Neapolitanis data *Ænaria*, permutaret. Majori momento ad gaudia sincerissima *SERENISSIMUS REX NOSTER, CAROLUS*, incitatur; sub primis enim regni auspiciis, non annosa quercus, sed, divino auxilio servata, Patria revirescit, animamq;, quam penè agebat, recipit. Hòc autem magis gaudet *REGIA MAJESTAS*, quò certior est, se huic salutari reciprocatióni pietate, magnanimitate, prudentia, quæ præter ætatis modum maturuerunt, vias quasdam commodissimè aperuisse. Ma&e bonis tantis, *CAROLE, REX AUGUSTIS-*

*SIME,*

**SIME!** hoc itinere cellissimus genius ad immortalis gloriæ cacumen tutissimè grassabitur. Agnoscit præsens ætas, agnoscit cum stupore, quid tibi debeat; sed hoc lætabunda dolet, quòd inæstimabilibus meritis tuis gratas vices reponere non potest: illud tamen quod pietati ejus conceditur, sedulo agit: Nomen tuum, Nomen jam apud Principes maximos, maximum, & in gentibus nobilissimis, nobilissimum, perennanti famæ commendabit; ut merita tua non solum solum posteritas, sed ipsa seculorum æternitas deprædicet. Quid enim præconiis dignius ulla excogitabit sagacitas, quàm quòd, cum paterna tuaq; arma ubiq; victoricia circumferrentur; cum quies illis plurimis in locis data esset; æquas pacis conditiones, certissimo victoriarum cursui, præferre malueris. Agnoscunt, inquam, illud non solum subditi, quos tam tempestivè è noxii belli faucibus liberasti; sed vicini etiam, ut dudum hostes acerrimi, ita modò amici longè fidissimi. Mirantur generosam illam magnanimitatem tuam, quæ, cum jure exitio eos dare, facileq; potuerit, attamen non salutem modò, atrocissima, merito suo, metuentibus, sed etiam optatissimam pacis tranquillitatem, concesserit. Meliorem namq; pietas tua animo imbi-


bit;

bit sententiam, quàm ille turbidus Persici regni everfor, qui, confectis bellis, dubitabat, quid agendum? Quasi verò pacis tempore Principes gloriæ servire longè commodiùs, longèq; tutiùs non possint. Disseminatur sanè, quod eloquentiæ Romanæ Princeps subinnuit, reb; bellicis nominis fama, sed per incertas sedes vagatura, & ferè cum præfenti ætate collapsura: at quæ togatis studiis paratur gloria, æterna est, & cum animorum benevolentia, tum ipsis industriæ suæ operibus conservatur. Quamquam hæc primaria actionum tuarum meta nunquam fuit, ut vanitati seculi hujus fumum venderes: Dei Ter Opt. Max. honos, subditorù carissimorù sal; hæc sunt illa mèti tuæ carissima; ad quæ omni ope cõniteris, ad quæ jugi speculatione collimas. Tenerri-  
ma ætatula tua paternum erga subditos, bonosq; omnes, affectum gerit, eorumq; prosperitatibus maxima etiam commoda postponit. Lætare ergo, **CAROLE AUGUSTE**, cœlestibus dotibus istis, & nos gaudiorù tuorù, ut semper sumus, pro tua clementissimâ benignitate, redde participes! Vos etiã **ILLUSTRISSIMI SVECICI REGNI PROCERES**, **VOS, RESURGENTIS PATRIÆ ATLANTES**, **VOS, SECVLI HUIJUS LUMINA ET COLUMNINA**, vos præ primis sincerum, sed, pro gravi-

gravitate vestra, in sinu, gaudium concipitis, agitatisq; . Vestra fides, fortitudo, vigilantia prudentiaq; , partim consiliis salutaribus, partim propioribus Legationis curis, ista jubila Regno Svecico, Livoniaq; satis haecenus afflicta, ista conciliavit halcyonia. Par est, ut vos tanti boni *Pararii*, principem inde fructum referatis. Nulla posthac orietur ætas, quæcum vestra etiam præconia non & conserventur & interpolentur. Multa erectiora ingenia res vestras, militiæ gestas, literis dignis commendare laborabunt: & fortè, licet omnia non adæquent, attamen incassum omninò haud laborabunt: at ubi ad istud caput, ad piam moderationem, moderatamq; pietatem generosissimarum mentium vestrarum, ad eminentissimum hunc laudum apicem, pervenerint; vela verecundi submittent, & rerum pondere opprimi se subitò fatebuntur. Omnes, inquam, vobis debitos honores deferre annitentur, nemo poterit. Excedunt vestra merita sacundissimorum etiam hominum & linguam & stilum: nec tamen suo destituuntur testimonio. Unde enim major diviniórque encomiorum fructus, quàm è sinceræ conscientiæ sacrario prodire poterit? Hæc secundas res mortalium amplificat, adversas solatur: ubiq; constantissima ingenerat gaudia.

dia. At vestra quanta! Quæti ipsi, hoc est maxima. Archimedè, famosum illud Syracusarum prodigium, reperta rei seqvioris, quam quærebat, rationè, nudum è balneis profuississe, & nova præconia in vicis fecisse, ferunt: *εύρηκα, εύρηκα!* Ridiculus hominis, aliocvi sapientissimi, impetus: major in vobis exultadi causa, sed & major graviorq; constantia. Utramq; vobis fortunam fecistis obnoxia: mala non deprimimini, secunda non efferimini. Gaudete ista virilitate vestra, sed potius pia pro patriis emolumentis cura atque industria. Invetum habetis hecatomba, & ultra, dignissimum. Proposui vobis, o cives, gaudiorum & incitamenta efficacissima, & exempla gravissima: vestrum jam erit universam cogitatione, mecum, peragere *Sveciam*: videbitis, opinor, plura tripudiorum & jubilorum specimina. Quis enim tanto bono non afficeretur? Quis tantum munus alacerrimo avidissimoq; animo non amplecteretur? Ipsum, ita me pax benè amet! ipsum mare Balthicum, audito gratæ pacis nuncio, *Najadum Nerëidumq;* plausu perstrepuerit, & publicè nata gaudia in oras universas dimittere festinavit. Quid vos, o *Livones* facere par erit, qui quasi torris è flagranti belli concitatisimi incendio creptis

estis? Verum, non opus est currentibus acriter calcar addere: nec ego is sum, qui, ut velim, possim. Illud unum à benignissimo pacis restauratore, DEO, humillimis supplicis oro, exoroq;: ut Patria, vobis, bonisq; omnibus, hac pace eternum gaudere liceat!



## BENEFICIA PACIS.

## ORAT. 2.

## THEODORICI à DUNTEN.

Qui felicitatem, æquabili fortunæ cursu provectam, quod tanto gaudio demulceat hominum animos, mirati amplexantur; mirètur eam potiùs, quæ perspicuis calamitatum distinctionibus cõpuncta, interposita tristitia, sequenti gaudio majorem confert dulcedinem. Non adeò felicitas eodem fortunæ gradu (quanquam ubi ea est? detur tamen!) persistens, in sui admirationem trahit; cum, ob continuum robur suum, adamantino necessitatis fato niti existimetur; quanto, inconstantis sortis vicissitudine subinde mutata, hominum animos perfundit gaudio. Equidem homini nihil magis optandum, quàm prospera, æquabilis perpetuaq; fortuna, se-

cun-

eundo vitæ, sine ulla offensione, cursu: attramen cum ferunt humanæ mentes sensum, ut desiderata magis exosculentur, quàm assidue percepta. Scilicet, ut post morbum recuperata valetudo; post spissas noctis tenebras, redux diei lumen, magis hominem quæcumq; afficit: sic ipsa externa conditio nostra, post langviores robustior, post adversitatù caliginem clarior habetur. Fingite aliquem; cui, à prima originis die, ad ultimum usq; fati tempus, nunquam cessante fortunæ indulgentia, ad summum beatæ vitæ culmen perducto, continuam felicitis vitæ fabulam consentanea absolvat catastrophe: at n. ea ipsa jugis felicitas, in seipsa quasi cõvoluta, jacebit, nec radios suos incurioso communicabit animo. Qui placida maris tranquillitate ad quæsitum deducuntur portum, istam pelagi malaciam non tanti æstimant: quanti, qui formidolosa ingruentium turbinum rabie, procellis, decumanos fluctus provolventibus, agitati, postquam Æoliis fratribus debacchatis, gratisimo Nympharum aurarumquè favonio allusi, quò tendebant, deveci sunt. Et nos hætenus impetuosus belli fluctibus jactati; & nos maximarù calamitatù, atrocissimorù periculorum scopulis allisi, à prora atq; puppi laboravimus; & lacrumabili facta jactura,

B 2

dc

de ipsa tamen salute ferme desperavimus: quid mirum, si revocata tranquillitas, si resurgens lux, si receptæ vires, si instaurata felicitas, majora gaudiorum momenta adjicit: quàm, si nunquam divinisimis jucundissimisq; rebus istis caruissemus? PAX nobis, consopito, quod, ad multam stragem, inter CLEMENTISSIMUM REGEM NOSTRUM, MAGNUMQUE MAGNÆ MOSCOVIÆ DUCEM, viguerat, bello: PAX omnigenæ felicitatis promaconda; PAX morbidi status medicina; PAX rerumpublicarum splendidissima lux; PAX fessorum requies; constituta, parata, illustrata, consolidata est. O grata felicitas, quæ succedit calamitati! Felicitas, quam, præ nimia animorum commotione, nec nos, nec omnis posteritas, (quâ tamen ipsam nostra infirmitas, quoniam in tanto tamq; inestimabili beneficio æstimando fatigatur, in auxilium advocabit,) satis deprædicare valebimus. Nec meæ vires tanto facundiæ flumine, tanta ingenii felicitate, tam firmis lateribus nobilitatæ sunt, ut munus illud dignè sustinere possint. Futurum certè, ut, dum magna affecto, materiæ pondere obrutus, magis imbecillitatem ingenioli mei detegam, quàm tantam pacis gratissimæ dulcedinem repræsentem. Nec eò dementiæ unquam perducatur, ut alacerrimos ani-

mos

mos vestres concitare, quod tamen haud invitis facerem, satagam: & tamen, quia huc præter meritum subvecto, in tam ampla panegyri necesariò aliquid dicendum erit: Pace hac Sveco-Moscovitica reducta; per divinam gratiam, felicissimis REGIS OPTIMI auspiciis, beneficium arduum, jucundissimum, exquisitissimum, maximum, quantum ista tenuitas assequi potest, erogatum nobis, concessumq; esse, collatis utriusq; fortunæ rationibus, declarabo. Jam equidem animus vasta rerum dicendarum amplitudine, per se alioqui infirmus, labascit: quamobrem obnixè rogo; quanquam quid rogo? Ipse Paternus favor vester istam jampridem mihi confidentiam ingeneravit, & constantissimo amore trepidam infantiam meam ad eloquium, ultra annos ac vires audax, provocat.

Amyclæi olim eò mollitiei, dementiæq; pervenisse scribuntur; ut, aliquoties vano rumore excitati, caverint: ne quis posthac hostium adventum nunciaret: quæ res & stolidis mortalibus exitio, & vulgato proverbio occasione fuit: Amyclas perdidit silentium. Et nobis, nisi divina intercessisset commiseratio, idem penè, nisi atrocius quippiam dico, accidisset. Quam facilè obstupefactum seculum, lamentabili veriverbio,

B;

me.

memoriam nostri, sine nobis, posteritati transmississet: Livones non silentium, sed sua perdidit securitas? Non equidem sacrorum Præconum silebant commonitiones; non cessabat provida Magistratus, per leges salutare cura: sed enim nostra levitas, in utramq; aurem dormiens, fatiq; sui securam, acriter ronchissabat. O scævus mortalium mentes! quæ nec adversa patiēter sustinere, nec secunda prudenter dispensare valeant. Nam, si per vestram, A. gratiam, paulò altiùs ista repetere conceditur: Livoniæ, Urbiq; huic nostræ (præter illa vetera,) postquam *imperia Svecica* agnoscere cœperamus, beneficia plurima, ingentia, exoptatissima, Numen *benignissimum* largitum fuerat. Ad nos etiam Pacis Germanicæ fructus spectabat: & nos celsa *Svecorum Magnanimorum* gloria, ne antea obscuri, illustrabamur. Effundebat in nos divina liberalitas benedictionis suæ thesauros; terra fertilitate sua colonorum vota complebat; portus nostri navium, mercimoniorumq; frequentia perstrepebant; ubiqve rei, privatæ & publicæ, augmenta cernebantur manifestissima. Sed hanc felicitatem quàm turpes comitabantur pedissequæ? Avaritia, profusio, cultus insolentia, luxuria. Verum quid ego aut con-

tem-

temptum verbi divini arguo; aut vomicas illas tango? cum duro dudum abaptistito ruptæ; mordaci unguento sanatæ, (utinam omnino!) fuerint. Provocârat nostrâ impietas divinam vindictam; hæc quoniam lentior erat, nemo verebatur, longanimitatem severitate, tarditatem gravitate compensatum iri. Sed pedetentim obscureq; pœnarum nostrarum mala succrescebant. Suscipiebatur primò bellum Polonicum: id quàmvis justum necessariumq; esset, tamen quia bellum erat, contrâ, quàm vanorum ingeniorum vaticinia promittebant, sine nostris etiam, damnis geri non poterat. Periclitabatur in eo, (& quoties periclitatus fuit?) *ipse REX noster*, quem salvum esse nostrâ omnium præprimis referebat. Pluries cæsos hostes, & verè inaudiebamus: (sed quis gladios adversos hebetes omnino fuisse crediderit? Jam, præter dubiâ belli aleam, illud, quod dissimulari non debet, profitebor: *REGIS* nostri, etiam *optimi amantissimiq;*, animositatem, prudentiam, felicitatem, auctoritatem, summa præsidia, cum plectere nos constituisset, in nostrâ mirabilis *DEI* iustitia convertit supplicia. Nam, cum virtutum tantarum fulgorem perferre lippo invidia oculo non posset, plures subinde hostes concitabat. Brevitati, in tanta re-

rum vastitate, studendum est. Cogitate mihi, A. & certè cogitatis, deditiorum Cofacorum in Polonia proditionen: clandestinas conspirationes: Austriacorum molitiones; & qui has urgebant, Danicos motus, Batavicos apparatus. Tantus malorum publicorum erat numerus, tantus impetus; ut uni regno non constringendo solum, sed & evertendo facilè sufficerent: ea tamen imperterrita *SVECORUM fortitudo* acriter aut excipiebat, aut protelabat: ut à nobis longius distenta, vel in herba, quod dicitur, suffocarentur. Sed divinæ justitiæ, quæ severissimam iram suam in nostram strinxisset impietatem, tergis nostris mastigem viciniorum sævioremq; inducere, proclive admodum erat. Moschus is: quem cum majorum, toties provinciam istam infestantium divexantiumq; sævitia nobis formidabiliorum; tum nuperæ in Polonos expeditiones, victoriæq; haud leves, exercitiorum fidentiorumq; reddiderant. Is igitur nulla lacesitus injuria; nulla, ne minima, provocatus causa; quin potius pactis fœderibusq; nihil, nisi firmam amicitiam, pollicentibus, ruptis; improvisus, & nisi aliunde, tamen hinc metuendus, nos obruebat. Copias ducebat, ut multitudine innumeras, ita immani sævitia longè atrocissimas. Prætoriani pedites,

Stre-

Strelizii barbaro nomine indigitati, (quos propterea primo loco pono, quoniam & in primis nos postea oppugnârunt, & ad Rigam pleriq; concisi fuerunt,) octo; equites mercenarii sex; pedites ac dimachæ accensi, octodecim; Cofaci, decem; Bojari, seu nobiles indigenæ, viginti; Bojari ex alba Russia, octo; Tartari & Lappones anthropophagi, duodecim; sagittarii ac funditores, sex; calones ac remiges, triginta millia excedebant. Taceo eos, qui adversus Dorpatum, & in Ingriam moverunt: nam illi, quos, (nec tamen omnes,) recensui, ipsius Tfaris ductum atq; auspicia sequebantur. Vasta erat multitudo, quæ quacunq; incederet, omnia cõtegeret atq; protereret: sed longè major crudelitas. Quid n. à gentibus, cædibus atq; latrociniis, maximã partem, adsvetis, aliud, præter cædes ac lanienas, expectares? Magni Christianum sanguinem facerent? qui Christiani nominis jurati infensissimiq; hostes sunt. Quamquam ipsum Moschorum vulgus, impietati ac sævitia cõmilitonum suorum cedere, in maximis probris habiturum videretur. Hi fuerant, qui captivos, ut pecora, in æternam servitutem venderent: qui filvarum latebris abditos rucolicas protraherent, cruciarent, & infandis modis perimerent. Vidit Livonia infantes elidi: vidit.

B 5

Sed

Sed quid dolores istos, in majorem dividi-  
am, aggravo? Quid promiscuæ plebis furias  
refero? cum majoris tyrannidis exempla  
narrari debeant? Inundabat trepidam Li-  
voniam plurimorum, nomine etiam antè ig-  
notorum, jam vix designandorum, popu-  
lorum diluvium; & omnibus aggeribus  
superius, universam absorbebat. Et unde  
tantæ in illis angustiis vires, quæ justas po-  
tuissem objicere catarractas? Nitebatur sa-  
nè *HEROS INCOMPARABILIS, COMES GARDI-  
ÆUS, fidusq; Achates, TURRIANUS*: sed enim lon-  
ginquis plurimisq; expeditionibus defatiga-  
tus, ac proximè Lithuanica laniena attenu-  
atus, exercitus *Sveco-Livonicus* tantæ moli su-  
stinendæ, multum aberat, ut esset idoneus.  
Subsidio certò venturus erat *FORTISSIMUS  
AMANTISSIMUSQ; REX*, nisi armis Polonicis  
distineretur: auxilia è Svecia sperari & po-  
terant, & debebant, nisi Danici motus cu-  
ram & propiorem & priorem anticipassent.  
Atrocia, terribilia ista omnia: sed intolera-  
bilior, qui mentes intus cruciabat mæstis-  
simus angor. Conscientia improbitatis nos  
accusabat, & contumaciam nostram divinæ  
nemesei subjici, ultrò judicabat. Aspera erant,  
quæ foris minitabantur, pericula: sed du-  
riora, quæ sensum intus flagellabant, verbe-  
ra. Pavor nos tenebat, quo impios subactum

iri

iri sacræ prædixerunt paginæ: ut ad quamvis,  
vel levisissimam, aurâ trepidaremus; & ad in-  
horrentium foliorum strepitum, in fugam  
mitteremur effusissimam. Præcedebat ho-  
stes nostros cœlitus immissa consternatio:  
major frequentiorq; cum illi longiùs ad-  
huc abessent, quâ cum propior manus con-  
fereretur. Sed etiam ipsi, quod ad pernici-  
em nostram spectaret, nihil unquam inten-  
tatum relinqvebant. Cogitate mihi; quàm  
callidè consilia omnia conjecta erant? Si-  
mulârant hæcenus fidem erga nos since-  
rissimam: & cum barbaros, nescio quos,  
sibi bella facere prodidissent, commeatibus  
insuper, pro amicorum jure, adjuti fue-  
rant. Sed quamprimùm nostri opprimen-  
di specula affulisset, arrepta occasione, in-  
dignationem diu celatam in nos omnem  
effundebant. Atq; hæc quæ diligentia, quæ  
providentia, (si fraudes ac sycophantias  
tam augusto nomine cohonestare licet,) ubiq;  
gerebantur? Ferbuerant hucusq; ac-  
cerrimæ bellorum inter Sarmatas ac Mo-  
schos contentiones: has vafra induciarum  
compositio ad tempus consopiebat, ut à  
fronte Svecos aggressuri, à tergo & lateri-  
bus tuti forent. Hinc cum nihil esset peri-  
culi, concepto jam pridem furori, exæstuan-  
ti crudelitatis immanitati frena laxabantur,

atq;

atq; vincula, omnia. Sic urſa ereptis catulis præceps agitur; ſic tigris prædæ infeſta inhiat; quo impetu, concitata in nos agmina irruebant. Reſpondebat ſcævis conatibus adulatrix improbitatis, ſubleſta fortuna, & copioliſtis noſtris tantos exercitus retundere incaſſum nitentibus, quæcunq; inferrentur hoſtium agmina, obnoxia cuncta faciebat. Expugnabantur igitur non vici ſolum & oppidula, ſed etiam, in primis, quæ Urbis huius morari poſſent obſidionem, munitiſſima caſtella, firmiſſima propugnacula. Et jam hoſtis propior non nunciabatur, ſed cernebatur: imminebat tempeſtas procelloſa, quam ſine jactura effugere non poſſe videbamus. Quod igitur Athenienſes, oraculi juſſu, Themistoſtis interpretamento, feciſſe quondam percepim; ut muris ligneis, Xerxe ingruente, uſuri, civitatem ſuam, quod fervarent, eandem hoſtilibus armis atq; flâmis traderent; id & nos ceſpitiis muris includendi, æſtitabamus. Succidebamus hortos amœniſſimos, exurebamus villas magnificas, concremabamus maximas pretioſiſſimasq; lignorum quernorum ſtrues, & damnis domeſticis hoſti nocere avidè feſtinabamus. Ne exſpectate, A. ut vobis obſidionis Rigenſis apparatus conatumq; quæ decet ſtili gravitate, delineem.

Exce-

Excedit is captum meum. Quamquam quid attinet eam rem verbosius exaggerare, de qua in omnibus orbis, etiam remotioris, angulis ſermones frequentiùs habentur? Jam publica fama pericula ac certamina Rigenſia loquitur; & ita loquitur, ut verendum omninò videatur, ne infantia mea gravitati illorum multum detractura ſit. Eò res noſtræ, res afflicte, res protrite, ac deſperate, deductæ erant; ut ne aræ quidem ſalvare nos poſſe viderentur. Jam Rigæ ejulabiles cantabantur nœniæ: jam captam eam, nunc per vim, nunc per deditiorem, pro comperto alibi, nec inter leves ac malevolos, nunciabatur. Perieramus anxii cogitationibus noſtris: perieramus cupida hoſtium fiducia: perieramus commiferanti aliorum judicio. At, quàm, DEUS bone! non ſubita, ſed mirabilis, ſed ſubinde lætabilior, rerum conclamatarum commutatio? Habent hoc egregiè magna mortalitatis bona, ut non citò perſciantur; ſed pedetentim, & quaſi per reſluas quaſdam vicisſitudines ſubinde augeantur. Qua quidem re ſapientiſſima *Numinis* liberaliſſimi providentia animorum noſtrorum lubricitati conſultum iit. Quodſi enim ardua facili progreſſu nobis evenirent, pro deteſtabili animorum ingratitude, ea fortè faſtidire-

diremus: jam mora addit pretium, & infirmitas nostra viribus suis defecta, ad opem divinam, constantibus suppliciiis exorandam, quibusdam veluti funibus, pertrahitur. Et nobis munus arduum, exquisitum, jucundissimum, exoptatissimum, post periculosissimas belli concussiones, & calamitates; sed per quædam haud obscura graduum intervalla; & cælo toties ploratibus, lamentis, ejulatibus nostris expugnato, fatigatoq; quò major ejus esset gratia, tandem concessum est. Nam, ut salutis, divino ductu, lentè remeantis primordia repetam: in ipsa jam novacula acie hærebam; cum, ecce! obsefores impugnatoresq; acerrimi, immisso cœlitus panico terrore, obsidionem arctissimam, & ut comparata erat, constantissimam, solvunt, inq; fugam, haud sanè primis molitionibus consentaneam, sese conjiciunt. O stupendam Dèi potentiam! Quos dudum in pœnas nostras, leonina armaverat audacia; hos jam, obtestationibus, deprecationibusq; nostris, nobis placatus, infra cervinam abjicit formidinem. Deseruerant ergo, quod in nostrâ cœptum erat perniciem, hostes opus suum: excefferant castris; reliquerant, aut exusserant, vineas suas: liberati eramus, quod proximè urgere videbatur, periculo: sed non omni prorsus me-

tu.

tu. Quid si enim, refeatis animis viribusq; in nos alacriores iracundioresq; confurrexissent? Quot urbes, cum vi, apertoq; Marte, capi non possent, dolis ejusmodi interceptæ sunt? Ipse sanè *omnipotens DEUS*, Aitas, quorum muros Jerichuntiacis similiter evertere poterat, strategemate isto circumveniri, perimiq;, voluit. Tirunculis etiam rei literariæ fatalis illa machina, famosus Græcorum, quo Troja periit, equus, jamdudum innotuit. Et hostem quidem nostrum non parvæ sanè rerum gerendarum commoditates invitabant. Ipsæ belli atrocissimi calamitates, ad extremam ferè inopiam, nos exhausserant; auxilia siqvæ mitterentur, erant tenuia, & invalescente, sequenti anno, peste nobiscum absumberantur. Foris gladius, intus mortis rabies nos perimebat. Peribat quotidie non promiscuum solùm vulgus, sed & bellicosa juvenus: ut Libitina adversus nos cum Marte conjurasse, huicq;, ad internecionem nostram, viam aperire velle videretur. Et quæ non crudelitas infesta fabricata exhinc fuit, in exhaustos, consilia? Nimirum, ut; quemadmodum, non, qui aliunde audiverant, sed, qui ipsi interfuerant, retulerunt; urbs ista nudata & bello, & pestifera lue, à propugnatoribus; constrictis, quibus incincta est, hiemali gelu fossis;

sis; uno, eoq; maximo agmine peteretur: expugnata flammis subjiceretur: præfidiariorum verò, accivium, mactata corpora profuente conglaciato subderentur. Ita scilicet ab urbe hac, tum verè ærumnosa, hostes abacti erant corporibus, ut animis tamen bellum infensissimum nunquam non gererent. Non tibi, ô *Patria dulcissima*, hostium tam immanium pepercit commiseratio; quæ apud hos nulla: sed divina opem tulit, salutem præstitit, quæ semper constantissima, maxima, ineffabilis, Benignitas. Hæc pacem elargiri oppidò & poterat, & volebat: sed, ut fidem tuam probaret; ut patientiam exerceret; ut pietatè aleret: eam, quæ nunc triumphas, non denegavit, sed distulit beatitudinem. Quàm facile fuerat Majestati ejus, ex suburbiis tuis abigere obsessores; tam proclive foret, è finibus Livoniæ protinam ejicere insidiatores. Sed alienas ab ineptiis nostris divina sapientia inibat rationes: & retinendo potiùs, quàm fugando hostem, admirabili omnipotentis suæ argumento, salutem nostram stabiliebat. Ut alto mari incôprehensibilis sapientia ejus metas, non transiliendas, posuit; ita hostes nostros, non in profundum demersos, sed eminentes, angustis tamen victoriarum terminis continebat: quos quoties exire nitebantur, in suam

am

am festinabant perniciem. Atq; illud mihi, A. pro maxima vestra pietate atq; prudentia, pensiculate paternæ Dei clementissimi providentiæ documentum. Constituerant, ut dixi, Moschi hiemali tempore, nos, nihil tale opinantes, obruere: cum Poloni hostes, præcepta autumnali incursione, plagas nostras geminare visi, sed visi sunt. Si quidem, quod in nostram humanum acumen commentatum fuerat cladem, id divina gratia saluti præsentissimæ esse voluit. Poloni quidem ipsi tanto non erant, vel robore, vel animo, ut Urbem istam cominus oppugnarent: at Moschi horum arma veriti, consilio, quod callida sagacitate invenerant, nuncium mittere cogebantur. Sic, quibus propitia est divina lenitas, hostes vel invites, ac planè diversum cogitantes, præsidio esse jubet. Fideles suos per obscuros mortistramites deducit, ut nihilominus subinde major vitæ lux emergentibus affulgeat. Fatebimini opinor, quod dico: ubi triennales, bono omine, cum Moscho factas inducias, animo lustraveritis. Jam igitur conditi erant gladii cruenti; pausa aliquæ dabatur miseris colonis: sed quis exterorum, tanto animis irarum correptis incendio, firmas fore credebatur? Quis nostrum meliùs habere illis poterat? Non loquar de finium interceptorum

C

oppres-

oppressione: quæ jamdudum multorum lacrimis exiliisq; deplorata fuit: Urbis tantum hujus detrimenta, quoniam atrocius vocabulum adhibere non libet, allegare licebit. Interquiescebat unicum, certè palmarium *Rigæ* subsidium, mercatura: onerabantur, (siquidem reliquas injurias libens dissimulo,) onerabantur cives nostri, siquid secundo amne devehent, suspiciosi inquisitionibus, novis exactiõibus, inauditis teloniis: annona nulla subvehebatur: & quod unum satis grave fuisset, lignatio necessaria impedièbatur. Speciem aliquam habebamus Pacis, sed quam Præfectorum Moscoviticorum subdolè, ad explendam avaritiam, excogitata compendia, quam gravioris atrociorisq; mali metus, lamentabiliter penè deœdarent. Verebatur enim, ne, ut in febribus, post sumptæ frigidæ relevationem, ita, post finita induciarum refrigeria, reciproci belli exitialis æstus reliquas emaciati corporis vires, penitus exustas, depopularetur. Faces sanè (quasi materia non satis copiosa suppeditaret;) multi malevolorum suffurri, execrabili contentione, utrinq; subministrabant. Europa, atq; adeò totus terrarum orbis, Christiana regna, amici, hostes, ex altissima quadam specula, belli hujus eventum, oculo cupidissimo, collustrabant.

Com-

Componeretur? At illud hostium cæterorum rationibus minimè judicabatur proficuum: spargi illi contentionum exitiosarum (& jam ipsi sparferant,) semina, sibi utilissimum arbitrabantur. Revocaretur? Quis igitur lanienarum finis futurus esset? Certè pleriq; nihil nisi novas utrinq; expeditiones, præliaq; prioribus longè cruentiora, præfagebant. Et jam triennium illud conquiescentium armorum ad finem properabat: jam diversi Martis resæviētis rumores circūferebantur: jam enses stridum, jam tela immissum iri, ipsi, inter spemq; metumq; dubii, credebamus. Sed quàm manifestis, quàm acceptis sese hîc iterum divina clementia prodidit indicis? Quàm mirificè vota nostra non modò prævenit, sed etiam superavit? Nos, quoniam gratiora pavor ille sperare non audebat, illud unicè optabamus: ut sine graviore noxa, sine ulteriori deficientium divexatione, bellum, siquidem denuo susciperetur, transigi posset. At paterna Numinis propitii liberalitas, majora longè, gratiora, planeq; insperata adjecit gaudia. Permovit nimirum *SERENISSIMI REGIS NOSTRI, ILLUSTRISSIMORUMq; PROCERUM ANIMOS*, ut optatissimam cum *Magno DOMINO & TSARE* pacificationem, (licet plurimorum studia, & causæ haud leviculæ diversum svaderent,)

C 2

can-

candidè tamen, benevolèq; , suscipiendum censerent: permovit, & luculentè demonstravit; Regum ac Principum corda in sua manu esse, ut ea, pro sapientissimo arbitrio suo, agat, quò complacitum sit. Cum deinde inclinata utriusq; *Monarchæ* voluntas, faustis populorum acclamationibus, *Legatos* ad tam salutare *Pacis* reparandæ opus destinasset: Ipse itinera direxit; congressus amabiles reddidit; consiliis adfuit; labores provexit; curis benedixit: ut, unanimibus studiis, ad salutarem publicorum commodorum scopum temporius, felicius, perveniretur. Non rarè Principum Proxenetarum Legati, verbo, *Pacis* faciunt concilia; re verò ipsa, fucosa discordiarum ac contentionum prostibula. Sed in hac pace revocanda ipse Deus, hominibus cessantibus, sinceri Proxenetæ partes & susceperat, & exsecutus est. Hic disidentes longo intervallo DNN. *LEGATORUM* animos adunavit; ut, ommissa animorum exasperatorum vitiligatione, proscriptis odiosis interpellationibus, propositaq; Patriæ carissimæ carissima salute; *DEI TER OPTIMI, MAXIMI, quam nunquam satis deprædicabo, CLEMENTISSIMA INDULGENTIA: SERENISSIMI ATQ; POTENTISSIMI REGIS, CAROLI, VICTORIS, TRIUMFATORIS, AUSPICIIS, d. 21. Junii, in vico, Cardis, PACEM, quæ felix ac æterna sit!*

*Sveciæ Regno, Provinciis, Livonia, Patriæq; , & deniq; nobis omnibus, felicissimè, velocissimè, gloriosissimè, reducerint, ac confirmârunt. Munus, ô Livones, vosq; , Rigenses mei, beneficium arduum, ingens, admirabile, consecuti estis! Obstupuerunt nationes, cum Pacem istam, famâ percepissent. Mirabitur posteritas, ubi vel Patrum relatu, vel historiarum monumentis cognoverit; inter tot tantasq; difficultates, remorasq; , Pacem tamen, tam æquam, tam optatam, ex omnium voto, confici potuisse. Nam, ne demum, unde omnia nostra supplicia atq; auxilia dimanant, ad divinæ justitiæ & misericordiæ tribunal vos, cum animo semper illuc versemini, revocem: quis nostrum unquam sperare ausus fuisset, fore, ut *SERENISSIMUS REX NOSTER, sive hostium amicabili æquitate, sive nostris calamitatibus inductus, bellum adè justum, & jam longè facilius, inaudita moderatione, componeret? Consopita erant bella, quibus hætenus arma Svecica distenta, numero, & suo, & hostium, plurima; contentionum acrimonia maxima, atrocissima, omnia: exercitus suppeditabant, non subito concipillati, sed veterani, exercitatisimi, clarissimi, ubiq; victores. Moschus contra bellis, Polonico, cæterisq; , quibus adhuc angitur, ita erat implicitus, ut latus, quod nobis ad-**

vertit, penè nudum reliquisset. Jam igitur nos (ut sunt imperitè ineptientium studia;) vindictam acrem exigebamus. Emetiebamur; avari animi decempe da, provincias debellandas: & ditonis *Sveciæ* fines à finibus *Livoniæ* in interioris *Moscoviam* submovebamus. Lætabamur publicis incrementis, & *CAROLO, AUGUSTO, VICTORI*, inter vix suppressas acclamationes, laurum præcerpebamus. Hæc nostra erant somnia: at *SERENISSIMUS REX, ILLUSTRISSIMIQ; PROCERES*, totum hoc negotium, non per nostras nebulas, sed limpidissimo Prudentiæ exactissimæ speculo contemplati fuerunt. Viderunt (& quid in nostram salutem non vident?) viderunt bellum, licèt continentissimè administraretur, sine *Livonum*, qui satis jam exhausti erant, injuriis, detrimentisq; geri non posse: hinc amore nostri, adeoq; publicæ salutis causa, oleam *Pausiam* laurui *Delphicæ* præferre non dubitaverunt. Quò effertur animus iste? Quæ præconia tantis tanti boni *Parariis* comminiscitur? Quo plus cogito, eo minùs beneficii tanti majestaté assequor. Non modò verba me deficiunt: sed etiam ipsum mentis piæ acumen omne hebetescit. Ite vos, *Livones mei*; & dum, erepta dudum, prædia vobis, *divina Regiæ* ope, vindicatis: dum dirutas exustasq; villas restauratis; dum

agrum

agrum conferitis: dum piscationi, venationi, cæterisq; studiis, tum jucundissimis, tum utilissimis, rediviva lubidine, incumbitis: post asfiduum *DIVINÆ BENIGNITATIS* cultum, *SERENISSIMO REGI, CAROLO, EMINENTISSIMIS, AMANTISSIMISq; NOSTRI DNN. PROCERIBUS*, grata beneficiorum tantorum commemoratione, piè humiliterq; litate! Bellicosissimi *Carthaginenses* olim: & ii tamen pacem, soluta etiam pecunia, redemerunt. Quæ vos pietate, quo gaudio bonum illud, quod non per nocumenta quæritur, sed cum maximis emolumentis vestris ultrò remeat, amplexari, exosculariq; par erit? Patria, lares, fundi, agri, & quicquid unquam carum fuit, sine cæde, sine damnosa expeditione, autoritate incomparabili *REGIS, caritate inestimabili PROCERUM*, (nisi quæ primùm insurgentis belli violentia depasta est,) incolumnia omnia, restituntur. Ite ergo, cum *Rigensibus meis*, & suscepta toties vota *ÆTERNO NUMINI, MISERATORI* vestro: gratias verò, *SERENISSIMO REGI, ILLUSTRISSIMIS PROCERIBUS*, pro vestra pietate, hilariter, alacriter, constanter, exsolve!

C 4

GRA-

## GRATIA PACIS.

ORAT. 3.

ANTONII CHRISTIANI.

**I**nterrogatus aliquando: Quid celerimè omnium senesceret? Cynicorum Coryphæus, minimè hîc Cynicus, Diogenes, aptissimè verissimeq; respondisse fertur: Beneficium. Beneficium, inquit, Sapiens; cuius annon æternus esse vigor, annon perpetua exstare debebat memoria? Ita optimus quisq; nullo non tempore sensit: itaq; fieri debere, conciso, mordaciq; Diogenes admonuit Apophthegmate. Ingratitudinem, inquam, taxavit; vitium, ut, præsertim in hac mundi deficientis sentina, frequentissimum, ita sua indole turpissimum; autoribus autem scævus nocentissimum. Hei mihi! optima, divinitatiq; proxima mater, beneficentia, quàm detestabilem abortit foetum, ingratitude? Hæc non solùm humanorum, sed & ex inexhausto illo divinæ munificentia fonte ubertim manantium, beneficiorum pretium elevare, memoriam extirpare, nefariè annitur. Nolo, quid in hoc inferiori circulo quotidiè hîc peccetur, nec debeo, prolixiùs enarrare: maximos Ceraunorum, Lanatum, Caracallarum greges ipsa hæc, effecta

foeta aliqvi, atas oculis vestris subicit; ut, si operosus hîc esse contendam, noctuâs Athenas portare meritò existimer. Excusetur tamen istud beneficiorum humanorum vilipendium, excusetur: quoniam invalescens pridem consuetudo ejus, legis instar, apud maleferiatos rerum æstimatores, acqvivisse videtur: humanū habeatur humanæ benignitati imposuisse: at illam, quæ cælesti gratiæ reponitur, ingratitude quovè, vè levissimo, prætextu defendemus? quovè mantello palliabimus? Hæremus! Meritò, igitur ingratis animis nostris divina Majestas stigma illud inurit: *Populus insipiens & stultus!* Stulti equidem non abs re insigniuntur, quibus tam spissum hirsutumq; vepretum corda operit; ut cæco ejus impetu abrepti, seipos beneficiis acceptis indignos, sperandorum incapaces, omnibus autem suppliciis atq; exitiis devotos reddant. Æternum namq; illud Regum Sapientissimi perstabit: A domo ingrati non recedet infortunium. Hoc autem crimen, hanc pœnam, ut declinarent, laudatissimis juxta ac sollicitissimis curis, quovis tempore, pia allaborârunt pectora. Humillimam scilicet devotissimi Patriarchæ confessionem subinde ingeminârunt: Minores sumus, *Domine*, universis miserationibus tuis, & veritate, quam explevisti servis tuis,

Hæc sanctissima Pietas ipsum etiam *SERENISSIMUM REGEM NOSTRUM*, universumq; *SVECIAE REGNUM* permovit, ut pro pace, cum *Magno Moschorum Tsare*, elapsa ætate, conciliata, citrò jam, ultroq; per latis Instrumentis obsignatis, solenni festivitate, publica; supplicatione, per omnes provincias, urbes, oppida, pagos, *Supremo* tanti boni *Parario*, obfrictissimam gratitudinem suam testaretur. Egimus tum mitissimo *trenarchæ*, clementissimo *Sospitatori* nostro, non quas debuimus, sed quas potuimus, gratias: æternum autem eas habendas ac continuandas, nemo, nisi extreme impius inficiabitur. Verum egerunt tum *Viri*, quorum nos facundam pietatem, in isto angulo, utinam non dico imitari, sed mirari saltem fatis possumus! Exiles isthinc vires sunt, fateor: at cum incomprehensibilis illa bonitas lactætium etiam præconia non proscribat, nostræ parvitatæ tenuia molimina non contemptum iri confidimus. Favete, *VIRI OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI*, huic audaciæ meæ, quam pia devotione vestra excitatam, paterna indulgentia proleçtatam, mirabili patientia roboratam, gratiosè conspicamini.

Venite & videte opera Domini, quas fecerit vastationes super terram! Arcus contrivit, lanceas detruncavit, & currus combus-

bus sit igni. Quiescite, & agnoscite, quòd ipse DEUS sit, excelsus in gentibus, & exaltatus super terram! Pacem nobis; pacem, bonorum terrenorum compendium; pacem, tot suspiriis anhelatam; pacem, tot supplicis emendicatam; pacem, tot precibus expetitam; pacem tot votis efflagitatam; unicus verusq; *Pacis Instaurator*, *DEUS*, dulcissimum lugentium solatium, certissimum laborantium perfugium, concessit, donavit, restituit. Quæ tanto muneri apta facundia reperiri, quæ tanto beneficio digna verba excogitari, concipi, efferi possunt? Memiserum! cur istud onus, cujus mole opprimar, recipere in me sustinui? Pia elatus sum gratulatione: sed dum rerum, quas nunquam æstimare dignè potero, magnitudinem æstimare tamen præsumo; mens infirma collabascit, lingua blæsa titubat, sensusq; flaccidi, non equidem ingratitude torpore, sed attonito admirationis stupore, luxantur. Quid ago? quid molior? quid loquor? Patientiamne tuam, *Pater optime*, *Pater amantissime*, an benignitatem, primum prædico? Utramq; debeo, sed neutram, at quid ego? ne præstantissimi, inter mortales, Oratores, possumus. Tu ille es, cujus nutu universitatis hujus machina regitur: cujus omnipotens manus cælos rotat, terram sustinet; cujus imperio

perio immensa oceani vastitas arenarum crepidinibus, (quasi inclusa utribus,) continetur. Tu temporis expers, annis ac temporibus mortalitatem nostram metiris: tu viventibus omnibus Spiritum infundis: tu quicquid usquam est, & mirifice produxisti quōdam, & adhuc, contra destructoris arietes, protegis. Tu cœlum, Majestatis tuæ altissimam sedem, concutis, & iste terrarum globulus trepidās intremiscit. Tu tonitrua cies, & per terres gentes; tu fulmina tua ejacularis, & prosternis impios. Tu ventos vocas, & ecce! ē cavernis suis subiti prorunt. Tu arbitrio mare saviens exæstuat; rursusq; cum jubes, placidē componitur. Et quid ego, mortalium omnium postremus, quid ego miser vermiculus, opera potentia tuæ, inestimabilia, inenarrabilia, aestimare, numeroq; comprehendere, frustra, licet piē, laboro? Huc mentem mihi trahe, hīc Spiritum tuum mihi infunde; ut eam, quæ in hac *Pace SVECO-MOSCOVITICA* reducenda, manifestissimis indiciis sese prodidit, clementissimam Potentiam, & potentissimam Clementiam, quoniam oratione debita evehere nequeo, at certē humili veneratione, ruminare, & modō possim, & posthac nunquam cessem. Nam perpendite, A., Regum ac Principum, qui verē quidem hi dicuntur, perpendite tamen

men eorum impotentem potentiam. Bella illi & motus facere, quandoq; sine magno molimine, possunt; at, ubi semel jacta alea est: quā non est in illorum manu, Martem dubium regere, quā non, finem exitalibus certaminibus imponere? Maria clasibus, terram exercitibus operiebat Xerxes: pedis sui illisu orbem motum iri, gloriosē jactabat Pompejus: sed quā minimē fuit in utriusq; potestate, eventum conatibus, atq; apparatus consentaneum præstare? Deus solus verē bellorum omnium est arbiter: quapropter cum gentis alicujus crimina plectere constituit, eandem aut in vertiginosa, ad ultroneam perniciem, abjicit consilia; aut irruentium hostium flagellis concidendam, arcano sæpe, semper tamen justo judicio, tradit. Ipse, ceu supremus Agonotheta, conflictus ac prælia moderatur: victoriam, cui vult, & quantam vult, attribuit. Carceribus suis victoriarum cursum includit: ultrā progressuris aut frena injicit, aut ipsos internecione subita absumit. Cum diu & viri & equi defudârunt, paucorum; ut pii semper paucissimi sunt; precibus permotus, nihil minùs, quā pacem, non rarō, cogitantes, gladios condere vaginis, abscedereq; arena jubet: quod si refragentur, giganteam contamaciā ipsi diffilare est quā facillimum. Per vestram

stram vos obsecro pietatem, A. retrò conver-  
tite sensus vestros in proximum sexennium;  
repetite mecum, belli nuper sedati causas,  
consilia, apparatus, periodos, eventus: agno-  
scetis, novi, imò quando non agnoscitis?  
providentissimam DEI nostri, vindicis ju-  
stissimi, miseratoris clementissimi, potenti-  
am, omnia in nostram correptionem, tenta-  
tionem, salutem, uti dixi, concitasse, guber-  
nasse, terminasse. Accersiverant piacula no-  
stra non verbera solum, sed etiam exitia;  
jamq; egregie vapulabat ista procacitas. Et  
quis parceret illis, quibus, qui unus parcere  
novit, iratus erat? Frustra, frustra humanam  
requirit lenitatem, qui paternam benignissi-  
mi Numinis exacerbavit indulgentiam. Sed,  
ecce! unde primò terror noster, hinc paulò  
post solatia, ac postremò inopinata, mirabi-  
lia, exoptatissima auxilia. Horum ergo om-  
nium mirabundo intuitu, jure, cum Viro  
dolorum exclamamus: Misericordia Domini  
est, quòd non consumpti sumus! Non defe-  
cerunt miserationes ejus: renovatur cum  
diluculo bonitas ejus, & fides ejus multa est.  
Et cum Davide: Benedic anima mea Domi-  
no, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.  
Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,  
qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui re-  
dimit de interitu vitam tuam; qui coronat  
te mi-

te misericordia & miserationibus. Qui satiat  
bonis os tuum: renovabitur, ut aquila, ju-  
ventus tua. Omnipotens est Dominus, qui  
ex fauce leonis nos eripuit: benignissimus,  
qui mortem promeritis salutarem pacem  
concescit. Vah quanta bona parvula vox  
hæc, Pax, amoenissimo, latissimoq; sinu suo  
complectitur? Infinitis maximisq; etiam in  
caduco hoc ævo, à liberalissimo donorum  
omnium Erogatore, bonis maectati sumus,  
& adhuc singulis, non dico annis, sed mo-  
mentis, maectamur: at dum perniciosum  
bellum premebat, omnium eorum; si non  
certa jactura, at nulla erant vel commoda, vel  
gaudia; subinde autem magis anxia posses-  
sio. Hunc ipsum Spiritum, quo vegetamur,  
sentimus, intelligimusq; à DEO immisum  
habemus: sed eum inter angores ac timores  
trahebamus. Vitam ducebamus morte sanè  
ipsa (quid enim in morte mali?) acerbio-  
rem: sed & eam, hostis fortasse arbitrio, ponend-  
am; per horribiles carnificinas, perq; diros  
cruciatu, abrumpendam. Singulari præro-  
gativa ad veram, per DEI incomprehensibi-  
lem gratiã, veræ religionis agnitionem per-  
ducti sumus: expurgatis omnibus humani  
liripipii depravationibus, de sanctissima  
PATRIS COELESTIS voluntate, de sufficien-  
tissimo FILII merito, ad salutem æternam,  
è Scri-

è Scripturis Propheticis ac Apostolicis, unica fidei norma, informamur: sed num frui liberè ingenti hoc cimelio, inter martios furores gementibus, licuit? Respondete pro me Venerandi rerum sacrarum Antistites. Conquerimini vos, acerrima Urbis hujus obsidione, templis ejectos fuisse? Illud quidem, ut sumus obliviosi operum divinorum æstimatores, apud plerosq; jam dudum obolevit. Lustrate verò mecum flebiliter discerptam Livoniam nostram: nã tot sacrarum ædium cineres, atq; rudera, cõspicatis dolores oborentur atq; lacrumæ. Qvot miseri agricolæ, calamitosi nuper temporibus, trepidam sine solatiis, exhalârunt animam? Qvi infantes sine Baptismo hæctenus? Qvæ ubiq; fuit confusio? Sed hæc damna vestra dilectio sollicitiùs nunquam non respicit; hæc cura vestra, quantum ad vos spectat, sanat, emendatq; ! Ego enim ad aliud cœli munus, grata mente, transeo. Quid enim & illud, quod sub REGE SANCTISSIMO, JUSTISSIMOq;, qui exẽplis potiùs, quàm rigidis edictis, ad veræ Religionis amplexum invitet, ad legum observationem, in nostrummet commodum, adigat, ceu aviculæ sub extenta platano, tranquillè viximus antehac, & modò vivere de novo incipimus? Nonne præcipuæ, sed à nemine, nisi à solo DEO, donatæ, felicitatis est

indi-

indicium. Sanè sacratissimo hoc clypeo, politissima hac, longeq;, ac illa apud fabulosam gentilitatem fuit, Jovis ac Minervæ, firmiore, ægide, publica privataq; salus, feliciùs multò, multò tutiùs communitur; quàm si in prærupta Uxelloduni saxa subvecta, si intra mirabiles Babylonis muros conclusa foret. Hanc tamen ipsam, deplorata illa belli proximi tempestate, martius dolus elusum, furor omninò perruptum ibat. Inter arma, impudenti injuriosæ prævaricationis tyrannide, leges silere; acceptis, non per hostes solum, sed &, quod lacrumabilius, per exercitùs nostratis promiscuum vulgus, crebrioribus damnis, ad acerbiores, eheu! dividiam, experti sumus. Expilabantur, despoliabanturq;, nudi jam inopesq;, rucicolæ; ad ærumnosas adigebantur angarias; loris, ne reliqua sævitia majoris tormina invitis horrescentibusq; hinc auribus obtrudam, innoxii cædebantur. Etenim quis vapulantium ubiq; gemitùs audire, quis ferocem turbæ protervæ insaniam coërcere volebat? & cum vellet, (ut multi volebant,) poterat? Verùm ingrattam ingrattæ, undeq; minimè decebat, profectæ, rei commemorationem, licèt ei pro jure meo, sineq; bonorum quorumvis offendiculo, diutius immorari possim, ultrò tamen abicio. Ad majora, ad atrociora, ne ante ex-

D

itum

itum defatigetur, labascens tanta malorum ferie, festinat animus. Parentes, conjuges, liberi, opes, dignitates, amici nonne sui cuiq; cari? Nonne, superna munificentia, omnia ista vitæ, sive adjuncta, sive delectamenta, possidere se, quivis pius sponte latissima cōfiteatur? At quis dulcissimarum rerum istarum, inter procellosos Enyūs furialis, ut Pœtæ bellum catamidiârunt, dico, an indigitârunt? turbines, quis fructus, quod gaudium ferè exstitit? Hic, inter miserabiles subolis famelicæ ejulatus, parentes contrucidabantur; isthïc uxores injustam vim patiebantur; illic mariti, in conspectu uxorum, frustra deprecantium, jugulabantur; alibi latentēs à matrum uberibus, reliqua proles ex arcto complexu divellebatur: ubiq; domus, granaria, cellæ, cistæ effringebantur; opesq; tot annorum, imò ætatum, labores, diripiebantur: sæviebant promiscuè flamma ac ferrum; dignitates conculcabantur; amici metu, nece, captivitate, fuga, exilio disjungebantur: fiebant alia, quorum narratio, ut non aliena, ita, ad gaudia cupidè tendentibus, jucunda minùs futura videtur. Quòd ergo dies vitæ sinceriores trahere; quòd intemperate Religionis, sacroq; cultui, litare; quòd sub REGII præsidii umbone securius tutiusq; agere; quòd parentum, conjugum, liberorum,

opum,

opum, dignitatum, amicitiarum, amore, fide, obsequio, adjumento, fulgore, auxilio, alio, foveri, coli, fulciri, exsplendere, provehi, Livones, Rigensesq; mei, posthac poteritis; id Paci; Paci, prosperitatum & harum, & complurium aliarum, genuinæ matri, felicissimæ altrici; pax autem DEO, DEO PROPUGNATORI, SOSPITATORI, LIBERATORI, VALIDISSIMO, BENIGNISSIMO, GLORIOSISSIMO, acceptum ferenda est. QUANTIS TIBI, ò LENISSIME PATER, quàm, non incomparabilibus, sed incomprehensibilibus, inestimabilibus, ineffabilibus, beneficiis obstricti sumus? Quid ista rependet inopia? Quas gratias recidiva meditabitur, parabit, infirmas? Si ætatem nostram, si infantiam, si ultimam nartivitatæ ac originis nostræ memoriã reperierimus; jam pridem nos ipsi, omniaq; nostra, Tibi debebimur: unde ergo novam fidem istam exsolvemus? Respice, CLEMENTISSIME ADJUTOR NOSTER, ad Majestatis tuæ folium humiliter procedentes! En! adsumus, BENEFICE DOMINE, adsumus; provolvimur, meditamur. Meditamur, & nihil Te dignum cominisci possumus: quærimus idonea verba, & non invenimus. Gratitude, quam tua flagitant benefacta, non assequimur; idcirco ingratitude istam, cum lacrumis, deprecamur. Redde nos tibi gratos, in eo,

qui

qui gratiam omnem ingratis promeruit, distribuitq; *FILIO TUO!* Guberna animos nostros, ut juxta cum innumeris aliis, & istud Pacis donum pectore memori condamus, sincero agnoscamus, obsequioso retinere studeamus. Excita linguam vocemq; nostram: quò Tibi hymnos cum júbilo intonemus; ut annunciemus magnalia tua apud posteros, ut nos ipsos ad piam gratitudinem, invicem, exstimulemus. Rege studia, actionesq; nostras, ut ad sanctissimæ voluntatis, ad clementissimæ facilitatis, ad incessabilis beneficentiæ tuæ instar, pro hujus imbecillitatis modulo, conformentur! Tibi nos totos tradimus! Tibi unico salutis nostræ Architecton, gratias æternas, quoniam referre eas non possumus, at, quantum à te dabitur, agemus, habebimus. Noli aspernari imbecillitatem istam: esto porrò, pro larga benignitate tua, Protector noster: conserva ante omnes, in omnium salutem atq; gaudia, quem omnibus, tuo loco, in his terris arctois, præfecisti, *SERVUM TUUM, CAROLUM, SERENISSIMUM AC CLEMENTISSIMUM REGEM NOSTRUM:* & quoniam istud etiam obsequium in tuum cedit honorem, indulge mihi, ut à *NUMINIS TUI* humillima, trepidaq; veneratione, in tuorum *Vicariorum* laudes, quas

quas tuis quidem sub imperiis atq; ductibus merentur, gratulantis animi pro lubio, excurram. Nam istam pietatem, A., ut ad vos deflectam, istam pietatem, quam vis divinatorum beneficiorum admirationi toti adhuc immeriti sitis, tandem tamen etiam à me efflagitare videmini. *CAROLUS* *seculi nostri delictum, Pius, Providus, Pacificus, CAROLUS SVECORUM MAGNANIMORUM & GLORIA & SPES,* post Deum optimum, maximum, Pacis hæc nobis exquisivit, invenit, communicavit, gaudia. Æstimate mihi, si quidem æstimari potest, præcocem illam virtutum verè regiarum in tenero *CAROLI* optimi pectore harmoniam; æstimate, qui potestis, & magni facietis. Ottonem, qui postea, à rerum gestarum amplitudine, magnus cognominatus est, tam læta gratiaq; indolis fuisse perhibent Historici, ut, omnium ore: Amor mundi, appellaretur. In *CAROLO* etiam ea virtutis non indicia, sed experimenta, quibus ætatura suæ modum præcipit, visuntur; ut Eum *AMOREM SECVLI, AMOREM SVECIÆ, AMOREM LIVONIÆ, RIGIÆ,* jure optimo, vocitemus. Effulget nimirum in sacratissimo vultu illo Paternæ Magnanimitatis certissima imago: declarat genuina hæc *Sædiles*, incessu, gestu, voce, factis, leoniam Parentis gloriosissimi *ferocitatem*

in parvis illis præcordiis, semæti fœcunda, in largissimam messem confurgere. Fuerint aliis aliæ notæ, quas harum rerum scrutatores, genitivas vocant: præfagierit maculosum Angusti corpus, orbis terrarum, cui destinabatur, imperium; in *CAROLO* virtutum omnigenarum character ipse, cœlo gratus, animus est. Leonem naturalis historiæ scriptores prodiderunt, venatorem quemq; validissimum adoriri, prosternere, laniare: viatoribus supplicibus parcere, indemnîq; commeatu eos transmittere. Hac animi generositate *SERENISSIMUS* etiam *REX noster*, *CAROLUS*, est: exitium, si elapsa induciæ fuissent (nec enim vires ducesq; deerant;) hosti minitabatur: jam ad sanio rem mentem revocato, amico, pacem, uti non facile speratam, ita dulcissimam, insimulq; æquisissimam concedit. Quantum publicæ felicitatis, lætitiæq; signum suscitatum est? Confectis fatalibus illis cruentisq; bellis, quibus & nostra, & exterorum, punita fuit improbitas; evocato ad superos *PATRE* ubiq; *VICTORE*; *CAROLUS*, *SALOMON NOSTER*, exsurgit, & hunc arctoum orbem, post tantas bellici impetus concussiones, vultus sui serenitate tranquillat. Æstimat enim præmatura ipsius prudentia, bella licet felicissima, licet continen-

tissi-

tissima, tamen citra subditorum nocumenta geri non posse: cum autem pietati ejus Reipublicæ salus, Ecclesiæq; tranquillitas, unica cynosura sit: his speciosissima emolumenta, maximamq; gloriam, lubentissimo animo postponit. Quamquam, quæ major exquiri potest gloria; quam si Reges, ac Principes, sepositis noxiis armis, pacem ac concordiam foveant; Reipublicæ, Ecclesiæ, placidis artibus, otia concedant tuta, atq; refrigeria? Quid majus, quid gloriosius præpotente æternoq; Deo nostro? At verò ipsè ex interminabili regno suo similtates omnes, odia, atq; disfidia severè proscribit; pacem omnigenâ suis elargitur atq; imperat: & nisi moris nostri prava prohibeat scævitas, jugem inferiori orbi huic concedat tranquillitatem. Dei ergo simillimum instar illi habent Reges ac Monarchæ: qui aut perpetua subditos suos pace beant; aut ab armis, necessitate, quandoq; inevitabili, correptis, quamprimùm honestè utiliterq; possunt, recedendum sibi existimant: qui, ex præcepto Xenophontis, nunquam eò certaminis descendunt: ut aut cuncta sibi capienda, aut cuncta amittenda sint: qui, dum viribus vegeti, fortuna florentes sunt, gladios vagina condunt; & ut fortis utriusq; exemplum insigne, Hannibal, ali-

D 4

cubi

cubi loquitur, amplam speciosamq; pacem, victoria, euripo cuiusdam similiter, fluctuanti, anteferunt. Quis ergo tacite non veneretur, publice non predicet, istam, in summa potestate, incomparabilem animi moderationem? CAROLUS; qui, compositis, quibus pluribus suffecerat, simultatibus reliquis, huic uni rei vacare poterat; hostem alibi occupatum fatigatumq; , oblata commodissima bene gerendæ rei occasione, non solum indemnem dimittit, sed etiam in sanctissimæ Pacis fœdus recipit. In magnis Alphonfi Regis laudibus numeratur; quod Carolo, Galliarum Regi, à Britannis attrito, perq; Legatos Pacis continuationem petenti, renunciari iusserit: Se; licet, plures Narbonensis Galliarum civitates ad Arragoniæ regnum pertinere, novisset; tamen eo tempore, quo calamitatibus pressi essent Galli, sua non repetiturum. Sed si sine invidia verum æstimare homini vili conceditur, majores CAROLUS REX meretur; cui non inveterata Majorum de finibus contentio, sed injuriæ recentes, eaq; sanè non parvæ, bellandi causas subministrabant. At vicit Pietas; vicit celsus CAROLI animus; ut mallet publica desideria, quàm belli denuo suscipiendi momèta, prævalere. O Pietatem, Amorem, Prudentiam, triumphis

maxi-

maximis, speciosissimisq; , non comparandam solum, sed etiam longissime anteferendam! Lauream, ô Livones mei, CAROLO REGI, qui olivam vobis præferat, piæ gratitudinis, debitæq; venerationis, ergo, plectite. Eat clamor vester cœlo: Vivat CAROLUS! Vivat Livoniæ ÆQUISSIMUS ASSERTOR! Vivat SVECIÆ animosæ & COLUMEN & DELICIUM! Admittite; (certè admittitis; nec tamen obsequiosâ cohortationem istam tardiosè respuitis;) admittite, inquam, in piè gratos animos: quot, quantæq; nobis, sincere gaudendi, optimè ominandi, CAROLI, VICTORIS PACIFICI, AUSPICIIIS, causæ præbitæ fuerint. Cum per seipsam jucunda Pax sit; bello tamen, quod inexpertis fortasse nonnullis dulce videbatur; comparata jam, longè erit expectatio. Multum singulorum hominum amicitia commoditatis, multum delectationis; multum, contra, dissidia ac rixæ calamitatis, multum ægrimoniam, non implicatis solum, sed & eminus spectantibus bonis, afferunt: quantum igitur Pax, non privata unius, aut paucorum gratia; sed publica pagorum, civitatum, regionum, regnorum, imperiorum, svavisimamq; conjunctionem, & emolumentorum & gaudiorum, conciliare: quantum, bellum, familiarum, gen-

D 5

tium,

tium, nationum, populorum, universi deniq; humani generis, infesta distractio, digladiatioq; & dispendiorum & mœstitudinum, conflare existimabitur? Non sine subtili acrimonia Romani, cum bellorum peritissimi, tum pacis justæ nullo non tempore studiosissimi, juris autem fecialis tenacissimi, amicos, necessarios: ipsam autem corporum, animorum, opum, studiorum consociationem, necessitudinem vocitârunt. Videbant mortales omnium facillè prudentissimi: nec domum, nec rem publicam ullam, nisi exitio propinquam, benevolentis concordia indigere posse. Certè: si fraude, circumventionibus, rapina, cædibus, injuriisq; reliquis, corrupta ista mortalitas abstineat: jam bello perpetuum missum sit repudium: at verò pace, ne ipsum quidem bellum, care unquam poterit. Unde namq; miles, comatus, arma, auxilia, consilia? nisi benefica Irene, in suum, eheu! non rarò detrimentum, Marti vastatori accommodaret. Incendiorum instar noxia bella habent: quæ nisi tempori restinxis, proximum quidq; corripiant, non subfessura, donec omnia absumpta fuerint. Pax contra, quò latior, quò diuturnior, hoc majores divitias, verum Copiæ cornu, fundit: hoc pluribus amœnitatum omni-

omnigenarû germinibus, feracissimus Paradisus, efflorescit. Illis autem belli lacrumabilis ærumnis, damnis, miseris, angoribus, desperationibus, omnibus, gratiosè vos liberat: his Pacis desideratissimæ fructibus, lucris, magmentis, thesauris, festivitibus, plausibus, vos, ô Livones, donat *AUGUSTA CAROLI CLEMENTIA*: donat; & tam optatis experimentorum Regiorum primordiis, de fausto subsecuturæ, cum felicitatis, tum gloriæ, curriculo, optima, eximia, maxima quæq; præsumendi, svavisimum facit illicitû. Nemo posthac erit, qui *CAROLI INVICTI* æquitate abuti, *SVECORUM MAGNANIMORUM* Fortitudinem lacescere; vobis autem, illorum testudine obseptis, bellum, ut nuper, inferre, aut ullo modo nocere, audeat. Abjicite ergo malorum nudius tertius memoriâ; bonisq; jam, non longinquis, sed præsentibus; sed, *REGIS OPTIMI, REGIS AMANTISSIMI, LIBERALITATE*, in manu vestra positis, cum plausu efferimini. Eat; eat iterum, iterumq; clamor vester cælo: *Vivat CAROLUS! Vivat ÆQUISSIMUS Livoniæ ASSERTOR! Vivat SVECIÆ ANIMOSÆ COLUMEN unicum, atq; DELICIAM! Vivat SERENISSIMA HEDVIGIS ELEONORA, MATER, & CAROLI REGIS, & nostra! Vivat, & in præcipuis, ad*  
qvæs

quas *Ipsam*, grato pietatis exemplo, publica suffragia adegerunt, Regni curis, laudatissima *FILII, REGIS*, cuius salute publica continetur, magmenta; felicior *Cornelia*, solertior *Zenobia*; cælo placidissime adspirante, promoveat! Invigilet, (ac facit illud in venerandum gratantemq; omnium stuporem,) bono publico; succurrat pro deprædicatissima Pietate sua, pressorum, egenorumq; calamitatibus, & principis *Clementiæ* ductu, Virtutum variarum gloriam æternæ admirationis fano inferat! Vos etiam, *ILLUSTRISSIMI REGNI PROCERES*, Vos seorsim *EXCELLENTISSIMI DOMINI LEGATI*, aurem vellicatis, animum mihi percellitis. Vestros in primis labores, curas, vigiliis, sine turpi nefariæ impietatis stigmatibus, tacitus præterire non potero. Vos illi estis, quorum constantissimis humeris Regii Solii firmitas, ceu atlanteis fulcris, inconcussa innititur. Quanta & animositate, & prudentia, bellorum, ut plurimum, ita acerbissimorum, procellis agitatum, adversitatum variarum decumanis fluctibus impetitam, Republicæ navem, gubernastis defendistis, refecistis; donec in tranquillum istum beatæ Pacis portum, passis, celeusmate vestro, velis omnibus, felicissime *subveheretur*? Vestra sagacissima consilia,

filia callidissimas hostium strophas eluserunt, vestra robustissima pectora adverforum telorum maximam vim, pro salute publica, & nostra, exceperunt. Vix par exemplum reperiri, in veterum, aut recentiorum monumentis, poterit; ubi tot hostes, tam potentes, tanta conspiratione, tanta, & animorum, & armorum, contentione, unum Regnum, semel ac simul, impetierint. Ipsa mihi fortuna, tamen ab omni gentilium vanitate procul absum; tamen ipsa mihi experiri hac vice voluisse videtur, quid vestra Virtus, quid imperterriti illi *tantorum HEROUM* animi possint: nequis posthac temerè eos læcescere, tentare, audeat. Ingens est, vel ipso livore iudice, bellica gloria vestra, incomparabilia facinora: sed, nisi successeritis, nescio, annon stupendæ moderationi palmam attribuam. Qui hostem aut sustinuerint, aut fuderint, multi leguntur: at qui victoriæ potiundæ, ut sanguini parceretur, ut pax æqua, & cum victoribus, tum victis optabilis, temporius restitueretur, ipsi cohiberent, fiduciam, pauci reperientur. Sed Vos antea, tot difficultatibus masculè obviam eundo, quid possitis, jam æquas Pacis conditiones largiendo, quid velitis, docuistis. Quamquam, quibus verbis, quibus præconiis Nestoream prudentiam,

tiam vestram, non ego, sed præstantissimi Oratores efferent? Ut acres primò fuerant hostium in *Regnum Svecicum* impetus; ita mox virtute vestra retusi, langvescebant: & jam à pluribus gratæ pacis dulcedo desiderabatur. His hostium animis vos maturè usi, eosdem, divina iubente gratia, (ac sint æternum tales!) fecistis vobis, nobisq; amicissimos. Unus restabat hostis, sed ut videbatur, nec sanè abs re, immanior, ferociorq;. Constitueratis, procul dubio, omnia adversus ipsum agmina producere, & vesanam illam sive ferociam, sive pertinaciam, iusta vindicta mulctare. Cum ipse sua sponte amicitiam gratiamq; Svecorum in victorum desiderare, haud obscurè notatus est. Legati ex *Illustrissimo Ordine vestro*, reliquisq; *Generosissimis ac Nobilissimis, Viri Lectissimis*; quorum, ut alibi magna, ita hinc insignia merita satis extulero, si unicum illud dixero: Ipsos solos, sine Proxenetis extraneis, ad *Regiæ Majestatis* mandatum, ad *Vestram sententiam*, ad *Patriæ emolumentum*, ad bonorum omnium votum, totum Pacis conciliatæ negotium, prudenter, feliciter, velociter, transgisse. Non essadeò insipida gens Moschica, ut vulgò, vel scribitur, vel creditur: vasa est, simulatrix, & nisi aliarum rerum, temporis tamen captandi, prensandorumq; animo-

rum,

rum, doctissima. Per hos Moschicæ calliditatis labyrinthos Dominis Legatis cautè eundum fuit. Et ierunt ariadnæo prudentiæ filo duce: ierunt, & in serenissimæ Pacis apricum deniq; felicissimè emanarunt. Optimè Vos, *Illustrissimi Domini*, optimè tantorum Virorum ministeria æstimatis; nec nostris ea indigent præconiis. Vos agnoscitis, Ipsorum opera, *vestris Virtutibus* novum campum apertum, *vestræ gloriæ* novam materiam oblatam esse. Fieri aliter non potuit, quin præmaturus *laudatissimè Herois, REGIS*, heu! quondam *nostris*, excessus, & tot bellorum, unà irruentium, motus, multa convellerint, quassaverintq;: quibus reficiendis instaurandisq; totis jam incumbitis viribus. Eximia hæc est paternaq; cura vestra, quam præsens ætas mirabunda intuetur; posteri verò, cum Nominis vestri immortalitate, inter selectissima pietatis recensebunt exempla. Nostra humilitas tametsi sedulò cogitat, laudes Vestras nunquam assequetur. Pergite *HEROES INCLUTI, CAROLI REGIS THRONUM* consolidare; pergite bono publico amplius velitari: pergite consveto favore ac amore *Livoniam* tot eladibus exhaustam, ejusq; Metropolin, *Rigam*, tot telis petitam, gratiosè amplecti: nam Gloriæ vestræ ipsa æternitas prospiciet.

Sed

Sed ut vobiscum; quia apud vos, A. O. O. S.  
 mea terminetur oratio: ÆTERNO, BENIGNISSI-  
 MOQ; NUMINI; SERENISSIMO REGI; SERENISSIMÆ  
 REGINÆ; MATRI; ILLUSTRISSIMIS DOMINIS PRO-  
 CERIBUS; ILLUSTRISSIMIS AC GENEROSISSIMIS  
 DOMINIS LEGATIS; inter festiva SVECIÆ uni-  
 versæ gaudia, pro incomprehensibili munifi-  
 centia, felicissimis auspiciis, piis sollicitudi-  
 nibus, salutarissimis consiliis, prudentissimis  
 curis, quibus AUREA PAX ista constitit,  
*rediviva Livonia, Victrix Riga, Magnus hujus Se-  
 natus, Reverendum Ministerium, cordati Cives,  
 ærumnosa Schola, & ego deniq;* ita agimus  
 gratias, ut, plures majoresq; subinde  
 debere, confessuri simus!

DIXI.

